DE

BACCHI EXPEDITIONE INDICA


MONUMENTIS EXPRESSA.

SCRIPSIT


BOTHO GRAEF.

INEST TABULA.

BEROLINI
APUD WEIDMANNOS
MDCCCLXXXVI.


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE

93



2



1

DE

BACCHI EXPEDITIONE INDICA

MONUMENTIS EXPRESSA.

SCRIPSIT

BOTHO GRAEF.

INEST TABULA.

BEROLINI
APUD WEIDMANNOS
MDCCCLXXXVI.

CAROLO ROBERT

UDALRICO DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF

PIETATIS ERGO.

Monumentorum quae ad Indicam Bacchi expeditionem pertinent catalogum edituro pauca praemonenda sunt de fabula ipsa. De qua cum in nonnullis rebus aliter sentiam atque plerisque viris doctis adhuc placuit, valde doleo quod et finibus huic commentationi circumscriptis et temporis exiguitate et aliis causis impeditus sum, quominus testimoniis diligenter pertractatis argumentisque idoneis allatis quae de eius fabulae indole ortu propagatione enucleasse mihi videor viris doctis probare coner. Satis igitur habeo breviter indicare, qualem ego mihi conformaverim sententiam. Quam plena et accurata argumentatione stabiliendi, si mihi facultas quam vehementer desidero non erit, spero fore ut — si tanti est — ab alio fortasse examinetur.

Duas enim fabulae Indicae formas inter se plane diversas vel potius duas et origine et indole diversas fabulas extitisse persuasum habeo. Quarum altera, cuius per totam antiquitatem altera multo celebrior fuisse videtur memoria, debetur Alexandri Magni expeditioni Indicae:

Etenim consentiunt in universum vv. dd. in eo quod Indicam expeditionem amplificatam ornatamque esse putant ex Indiae quam Alexander patefecit cognitione, propagatam a regis adulatoribus, qui non sine ipsius voluntate et consensu cum heroibus et deis eum comparabant, cuius facta ne heroum quidem factis aequari cuiusque ingenium pulchritudo tota indoles ac natura vel inter deos excellere viderentur. Dubitatur autem, num aliqua certe illius fabulae notitia iam priori aetati adscribenda sit; id quod meae quidem sententiae refragatur quam vehementissime, primum quod nullum extat testimonium Alexandri aetate antiquius — nam quod in Philoch. frg. 23 inesse visum est Dinarchi testimonium nullum est —, tum quod in ipsa Alexandri expeditione originem fabulae paene ab incunabulis observare licet. De qua re multa recte disputavit Kampius in dissertatione Bonnae edita 1864: 'De Ptolemaei Philadelphi pompa Bacchica' p. 15—20.

In montibus in Indiae Bactriaeque confinio sitis, qui Hindukoh nobis audiunt, a Graecis Indico Caucaso nomine appellabantur, Alexandri Macedones in regionem inciderunt quae et loci natura et incolarum moribus, fortasse etiam cultu fabulisque Bacchicarum rerum recordationem iis movit. [Arrian. Anab. V. 1. 19. cf. Indic. I. 4—7].

Fertilis enim erat regio illa vinoque abundabat[1]) quo scimus veram[2]) Indiam carere — id quod magni est momenti — incolaeque vitam degebant iucundam. Neque omni probabilitate caret opinio, non solum eorum ritus cum Bacchicis quandam habuisse similitudinem[3]) sed etiam fabulas apud eos viguisse, quae et ad vini inventionem et ad aliquem heroem, qui ex occidente venisset, spectarent; paene nihil de his rebus constat, sed coniecturis quas de hac re facere volueris, praeter ea quae vv. dd. in nota laudati docuerunt, subveniunt primum ea quae de vini patria egregie et erudite disputavit Victor Hehn in libro cui inscribitur 'Culturpflanzen und Haustiere' in editione quarta p. 64; tum quod iam Euripides Bacchum Bactrorum fines perlustrantem facit, id enim, cum praeterea quantum equidem scio de Bactrorum Bacchico cultu nihil notum sit, ad istam regionem, quippe prope Bactrorum fines sitam[4]) pertinere puto.

His vero Philostrati verbis *Ἰνδῶν δὲ οἱ περὶ Καύκασον καὶ Κωφῆνα ποταμὸν ἐπηλύτην Ἀσσύριον αὐτόν* (scil. *τὸν Διόνυσον*) *φασιν ἐλθεῖν τὰ τοῦ Θηβαίου εἰδότα* [V. A. II. 9. 57 p. 27.] quae maximi momenti in nostra quaestione essent uti nolim, quia de Philostrati fide adhuc non satis constat. Utut igitur de Nysaeis illis, ad quos haec omnia redeunt, iudicandum est, hoc videtur pro certo stare, non defuisse, quae Macedonibus ansam darent fingendi narrandique fabulas Bacchicas, quarum antea in Alexandri expeditione ne minimum quidem vestigium occurrit[5]); dehinc frequentissimus est rumor in omnibus Alexandri factorum narrationibus, imprimis in orationibus Alexandro suppositis. Quae enim ibi de Nysaeis eorumque historia et cultu tradita extant quasi radicem continent, e qua, postquam Alexandri glorificandi studio tamquam imbre madefacta est, cetera omnia effloruerunt quae praeterea ab Alexandri comitibus[6]) de Bacchi expeditione Indica narrabantur.

Atqui quae Graeci Indos de Dionyso tradidisse fabulati sunt re vera in Indicis qui ad Çiva deum pertinerent mythis niti viris doctis adhuc visum est. Quae opinio praeter dulcissimam con-

suetudinem qua per aliquantum temporis omnia lubebat e remotissimis mirabilibusque orientis terris repetere **Megasthenis** testimonio stabiliri videbatur. Sed si diligenter atque accurate examinaveris Megasthenis de Dionyso verba[7]) eaque cum iis quae inter Macedones narrata esse scriptorum Alexandri Magni rerum testimoniis constat, comparaveris, spero fore ut mecum statuas Megasthenem in summa prorsus consentire cum Macedonum narrationibus, quae autem addidit ex Indorum cultu vel historia accepta, lepidum est quod non ad Çiva deum pertinent[8]).

Quae Macedones eosque secutus Megasthenes de Bacchi in Indiam facta expeditione narraverant quaeque ita comparata sunt, ut facile videas Bacchi facta ad Alexandri exemplum efficta vel immutata esse quo maior Alexandri Bacchi imitatoris gloria evaderet, iis mox nova accedebant quae unde orta sint difficilius etiam est ad enucleandum quam illa. Neque adhuc mihi contigit, ut primi eiusmodi fabulae momenti, **triumphum dico Bacchi Indicum**, plenam possem et planam originis historiam proponere. Primum enim imitandi vices quas modo tetigi hic non licet usque ad certum finem persequi — nam utrum Baccho an Alexandro primum triumphus adscriptus sit nescio —, tum investiganti obstat lubrica scriptorum fides, qui de hac re locuti sunt[9]).

Sed quo debilioribus haec fabula niti videtur fundamentis, eo mirabilius est quod postea ita pervolgata est, ut in vita publica poesi arte per totam antiquitatem eius vestigia occurrant frequentissima et fabulae conformationis, de qua nunc agimus, cardo paene totus in ea versetur.

Quae omnia nemo putaverit accidisse in fabula quae a Clitarcho excogitata sit. Quas difficultates ab una quidem parte solvere possemus, si de Indicis moribus, quorum in triumphi Bacchici mentionibus vestigia sat clara apparent, melius edocti essemus. Interim, donec ab ‚Indologis' hoc factum sit, satis habeo Oldenbergii sententiam, quam comiter mecum communicavit, Tibi committere. Qui quae leguntur apud Strabonem XV p. 718 Cap. 69 *ὅταν δὲ βασιλεὺς λούῃ τὴν τρίχα, μεγάλην ἑορτὴν ἄγουσι καὶ μεγάλα δῶρα πέμπουσι τὸν ἑαυτοῦ πλοῦτον ἕκαστος ἐπιδεικνύμενος κατὰ ἅμιλλαν* quae nescio an ab ipso Megasthene profecta sint, fortasse ad Indicum quendam ritum pertinere coniecit, cuius descriptio extaret Pâraskara II, 1, et descriptiones pomparum quales in eodem Strabonis loco, quem iniuria totum Cli-

tarcho tribuit Muellerus, et apud eundem XV p. 712 extant, non raro in scriptis Indicis occurrere autumat.

Haec igitur omnia fabulae elementa artissimo vinculo cum Alexandri factorum rerumque Indicarum fama coniuncta sunt; quid mirum, si in fabulosa Alexandri historia quam Graecorum *θαυμασίων* amor ab auctoribus describendi narrandi augendi vel etiam mentiendi libidini indulgentibus nutritus sibi finxit, etiam Bacchicae fabulae memoria non solum conservata sed etiam amplificata est. Et amplificata quidem est uno additamento, quod non minus quam cetera videtur fabulae formae de qua agimus proprium esse, sed de quo non magis quam de triumpho constat ad quemnam primum, Alexandrum an Bacchum revocandum sit. Agitur enim de stelis quas et Alexander et Bacchus traduntur, ut finem peregrinationis significarent, in India posuisse. Cuius fabulae duplex est radix, mythologica in Herculis stelis Gadibus positis (Herod. IV 8) historica in duodecim altariis quae Alexander ad Hyphasis fluminis ripam posuit, quo loco expeditionis suae finem fecit. Philostrato (V. A. II 43 p. 44) haec duodecim sunt triginta quibus columnam addit cui inscriptum esset *ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΕΝΤΑΥΘΑ ΕΣΤΗ*. Similis columnae mentionem invenimus apud Pseudo-Callisthenem[10]. In Palladii enim qui fertur de Brachmanibus libello (PS-Call. III 7. 20 p. 102 Mueller) stela fuisse narratur ad Gangeticas ripas cui haec inscripta essent: *Ἀλέξανδρος ὁ Μακεδόνων βασιλεὺς ἔφθασα μέχρι τούτου τοῦ τόπου.*

Ad idem recurrit quod legimus in ‚Alexandri Magni de situ Indiae epistola ad Aristotelem praeceptorem suum data‘ (ed. Paulini p. 57) de qua Zacherus egit Ps-Callisthenes p. 146.: ‚Ibique legato meo Antigone nomine, quem Persidi praeposueram, praecepi, ut inter Pori Persarum et Babylonicorum pilas solidas, aureas duas pararet, et in his omnia facta scriberet, faceretque in ultima India Liberi et Herculis trophaea.‘

Etiam Herculis stelas in India Alexandrum vidisse legimus Ps.-Call. III. 27, Herculis et Bacchi habes in epistola ad Aristotelem supra laudata: (ed. A. Paulini p. 37) ‚et (Porus) ad Herculis Liberique trophaea deduxit. In orientis autem ultimis oris, aurea utrique deorum constituta erant simulacra. Quae an solida essent ego scire cupiens, omnia iussi perforari, et rursum cum viderem solida esse, simili metallo complevi. Liberumque et Herculem deustis victimis placavi‘ [11].

Bacchus stelas posuisse narratur his locis:
Diodor. I 20. id. III 74
Apollodori Bibl. III 5. 2. 1
Dionys. Perieg. v. 623 sq. et 1164 sq.
Eustathius ad Dion. Per. 623
Tzetzes. V. hist. VIII 211 v. 582
adde Anthol. Pal. XVI 185.

Sed etiam ut par est ab Alexandri persona soluta sua itinera fecit fabula nostra; multa enim videntur convenisse quae ei propagandae et excolendae prodessent. Nam qualis Bacchico cultui fautor Ptolemaeus secundus extiterit, satis est notum. Forma autem mythi, qualem Alexandriae viguisse e Callixenea pompae illius descriptione discimus, consentit cum Macedonica.

Poetas Alexandrinos — de quibus tacere malim quam paucis atque frivolis verbis leviuscule iudicare — a nova fabula tractanda non abstinuisse, praeter pauca ipsorum frustula Indicae expeditionis frequens apud Romanos docet memoria: satis habeo Ovidium commemorare qui praeter notissimum Fastorum libri tertii locum saepissime in transcursu ad nostram fabulam alludit, ita quidem ut collectis omnibus eius modi locis nonnihil proficiamus in cognoscenda fontis indole, e quo hauserit. Praeterea in Luciani Prolalia (ὁ Διόνυσος) pleniorem habes Indicae expeditionis narrationem quam non temere conieceris multa servasse ex antiquioribus carminibus desumpta. Accedit quod ex compendiis mythographicis, quorum praeter Apollodori et Diodori bibliothecas multa habemus fragmenta hic illic in antiquis scholiis disiecta, varia apparent talium carminum vestigia.

Praeter poetas autem mea quidem sententia etiam ii ad excolendam Bacchi rerum gestarum memoriam multum contribuerunt, qui mythologia graeca utebantur, ut suas sive de deorum natura sive de philosophia sive adeo de rebus publicis rationes probarent. In quorum numero iactantur sacrae historiae librique de Hyperboreis scripti auctores Euemerus et Hecataeus Abderita, quamquam perpauca sunt quae de iis comperta habemus, latissimeque patuisse diversas pragmaticas rationalisticasque doctrinas, quas iniuria nomine ‚Euhemerismi' vulgo comprehendunt, colligi potest cum e dispersis mythographorum frustulis tum e Diodori primis libris, quos ex uno auctore excerptos esse frustra conati sunt probare vv. dd.[12]).

Audio interpellantes, quid pragmaticis sit cum Indica expeditione. Quibus velim in mentem veniat, quantum studii a variarum doctrinarum asseclis in eo collocatum sit, ut demonstrarent quos vulgi opinio pro dis haberet, homines fuisse qui apud posteros divinum honorem nacti essent. Ad quam sententiam firmandam saepissime Bacchi et Cereris exempla adsciscuntur propter beneficia, quibus vitam humanam cultiorem reddidissent[13]). Tali doctrinae nihil puto potuisse aptius occurrere quam Indicam expeditionem, quippe quae ex Alexandri exemplo ficta prorsus ut humanum imperatorem deum induceret. Ne autem mihi obicias, iam antiquitus in Bacchi persona permultum infuisse quod humanam indolem magis quam divinam saperet, similiter atque in Herculis, velim haec respicias, aliud esse deum in antiqua mythologia humanas partes agere, aliud hanc discrepantiam urgeri, nam piae aetatis simplicitas non offenditur rebus quae posteritatis acumini atque ingenio sophistarum philosophorumque studiis erudito ansam praebent novas doctrinas excogitandi.

Opus erat hanc meam opinionem si non probare at certe paullo latius exponere, quod inter rationes est quibus commotus Nonnum prorsus a prima fabulae forma seiungendum duco, utpote fabulam secutum quae duarum illarum, quas extitisse supra dixi, est altera.

Primum Nonnus in hac re a forma fabulae quae et inter Macedones et Alexandriae vulgaris erat longe discedit, quod in hac Bacchus non est deus, vix heros, immo paene homo, id quod cum fabulae origine artissime cohaeret; nam cum deo qui viribus uteretur humanam naturam excedentibus Alexandrum comparare non multum valuisset. Etiam miracula prorsus desunt; id quod non aliter se habere potuit, nam deo cui caelestibus prodigiosisque uti liceret armis non pugnare opus erat cum mortalibus, modo eos puniat ut Bacchus Pentheum in Euripidis tragoedia. Nonni autem Bacchus ab Euripideo non diversus est, prorsus divinam habet naturam, quolibet prodigio ad Indos puniendos utitur[14]), ita ut is qui ad sanae mentis normam Nonni pugnas accommodare studeat, non intellegat, cur omnino cum his mortalibus hostibus deus dimicaverit. Quam ἀπορίαν infra videbis solvi coniectura quam de fabulae origine verbo afferam.

In ipsa Nonniana expeditionis narratione desunt quae primae fabulae formae propria esse didicimus: neque de Nysa Indica

neque de triumpho quidquam ibi extat. Deest stelarum mentio neque oppida condit Bacchus aut beneficiis Indos afficit. Praeterea non neglegendum est quod Hercules qui in versione Macedonica interdum Bacchi est socius nullas apud Nonnum in bello Indico agit partes[15]).

Neque casui tribuendum videtur quod et Silenus et Pan diversa ab altera fabulae forma apud Nonnum inducti sunt ratione, quam rem pluribus persequi nunc omitto. Sed maioris momenti quam dei socii sunt adversarii; quorum prior forma singulos omnino ignorat, sunt enim Indi in universum nihil praeterea. Itaque *Μύῤῥανον* quem Diodorus affert (III 65) compendium videlicet e multis fontibus conglomeratum secutus non dubitaverim secundae versioni adscribere, etiamsi non Koehlerus (Die Dionysiaka des N. p. 53) multa cum probabilitate statuisset, haud diversum eum esse a Nonni Indorum principe quem vocat Morrheum. Nonnus enim frequens est in enarrandis Indorum ducibus[16]) eorumque factis, qui prorsus easdem agunt partes atque qui in antiquissimis Graecorum mythis comparent deorum adversarii, e quorum numero satis habeo reges Baccho inimicos Lycurgum Penthea Persea[17]) afferre. Cuius generis personas cum sciam esse, qui cum gigantibus componant, eo probabilius mihi redditur sententia Koeppii (De gigantomachiae usu p. 38 sqq.), Nonni Indos a gigantibus originem duxisse fabulamque a Nonno tractatam e gigantomachia ortam esse. In eo autem quod suum inventum Koeppius ad universam quae de Bacchi expeditione Indica ferebatur fabulam transtulit, iam iis quae supra exposui vides me vehementer dissentire. Unicum quod ille pro sua coniectura, iam Alexandri adversarios cum gigantibus comparatos esse, attulisse sibi visus est testimonium, verba dico quae extant apud Plutarchum *περὶ τῆς Ἀλεξάνδρου τύχης ἢ ἀρετῆς* A. c. X. p. 341 Did. nullum esse, quod verba illa Euripidis versibus Hercul. 1271 sqq. alludunt, Maximilianus Mayer sodalis me monuit.

[1]) Droysen Hell. I. 2. p. 109 sq. Lassen A. I. I² 500 sq. II² 141 sqq. Spiegel: Der Hindukusch und seine Bewohner. Deutsche Revue v. R. Fleischer 1884 XIV 198.

[2]) De differentia quam inter Paropamisadas et ceteros Indos intercessisse scimus cf. Lassen l. l. I 501. 29. Droysen l. l. I 2. p. 110 not.

[3]) Huc pertinent quae Megasthenes tradit fr. 41 Schw. (Strabo XV 58 p. 711).

[4]) Montium transitus qui ex Indi fluminis regione ad Oxum ducunt, descripsit Spiegel l. l. p. 199. Ceterum vide Prellerum M G[3] I p. 579 qui (not. 2) Bactricam Nysam in Caucaso Indico fuisse dicit; sed cur hanc ab Indica diversam indicet nescio.

[5]) Quamquam occasio haud semel offerebatur: nam in Bactrorum terra diu commoratus erat Alexander, quin etiam cum ad Bessum persequendum eo tenderet (Arr. An. III. 28. 1) Caucasum Indicum superaverat gentesque Indicas invaserat. Saepissime de Hercule et Perseo verba faciunt auctores, quorum aemulationem Alexandrum prae se tulisse narravit Callisthenes (fr. 36 Mueller cf. Arrian. An. III. 3). Jam fecerat Alexander piam illam de ortu suo fraudem, qua Ammonem patrem ementiretur. — Immo Bacchum ab Alexandro post Bessi supplicium neglectum esse testatur Arrianus (An. IV 8. cf. Diodor. XVII. Epitome κζ). Neque in universum multam Liberi factorum rationem habuisse Macedones discimus ex Anaxarchi verbis Arrian. Anab. IV 10. 6. Accedit Eratosthenis testimonium apud Strabonem XV p. 688 sq.

[6]) Aristobulum huius fabulae mentionem fecisse docent Arriani verba Anab. VII. 20 quae Aristobuli esse comparato eius fragmento 41 (Mueller) evincitur, ita quidem ut Arrianum videamus plenius et accuratius Aristobuli verba servasse. Ceterum cf. Droysen Hell. I. 2 p. 394.

[7]) Paullo accuratius quam Schwanbeckius fecit Megasthenis de Dionyso commenta circumscribi possunt imprimis attentius examinata Diodori quam vocant Megasthenis epitome, qua nimis confidenter adhuc usi sunt viri docti.

[8]) Docte et probabiliter Lassenus (Ztschrift f. d. K. d. M. V p. 254 cf. A. I. I p. 610) exposuit finem expeditionis Dionysi qualem Megasthenes exhiberet, ad Indicam quandam genealogiam spectare, cui nihil commune est cum deo Çiva. De cuius cultu cum adhuc parum edocti simus, donec argumentis probatum sit reliqua quae Megasthenes de Dionyso narret ad illum pertinere, ego meo iure hoc nego, quin etiam unicam rem in qua consentire ambos Lasseno visum est, solius Megasthenis testimonio nisus vir ille doctus statuit, quamquam Indici scriptores nihil de ea referunt. A. I. II p. 925.

Rem longe aliter se habere de Krishna deo, qui re vera Hercules est Megastheni, dubitationem movere non debet, quia inter hos deos profecto similitudo quaedam intercedit. Itaque in Herculis factis enarrandis M. plane a Macedonibus dissentit, id quod Schwanbeckium fugit.

[9]) *Ταῦτα δὲ οὔτε Πτολεμαῖος ὁ Λάγου οὔτε Ἀριστόβουλος ὁ Ἀριστοβούλου ἀνέγραψεν οὐδέ τις ἄλλος ὅντινα ἱκανὸν ἄν τις ποιήσαιτο τεκμηρῶσαι ὑπὲρ τῶν τοιῶνδε.* Arr. An. VI. 28.

Neque, id quod valde premendum est, Megasthenes triumphum narrasse videtur. Ceterum cf. Droysen Hell. I 2 p. 230.

[10]) Philostratum in multis inveni et cum versione Macedonica — quam brevitatis causa ita nomino — et cum Pseudo-Callisthenea ita congruere, ut quod ad fabulae conformationem attinet medium fere inter ambas locum tenere videatur. Quae res a viris doctis adhuc neglecta separata inquisitione indiget, ad quam instituendam sane rectam viam monstraverunt iudicio, quod de Philostrati in India describenda fide ferendum esse intellexerunt Kayserus (Phil. ed. mai. p. VI) et E Muellerus in docta sed intolerabili sermone scripta commentatione cui inscriptum est, 'war Apollonius von

Tyana ein weiser oder ein betrüger, oder ein schwärmer und fanatiker?' (Liegnitz 1861).

[11]) Tertia eiusdem generis historia recurrit in Ps-Callisthenis recensione illa maxime interpolata, quam exhibet Cod. Parisinus (Suppl. Nr. 113 cf. Mueller pp. X et XV. Zacher, Pseudo Callisthenes pp. 10 et 13) Ps. Call. II. 34. „*Διελθὼν δὲ τὴν τῶν ἀγρίων ἐκείνων χώραν δι' ἡμερῶν πέντε, εἰς ἑτέραν κατέλαβε γῆν, ἔνθα στῆλαι εἱστήκεισαν δύω χρυσαῖ, μία μὲν ἀνδρός, ἡ δὲ ἑτέρα γυναικός· αἷς περιτυχὼν Ἀλέξανδρος ἔφη· Ἡρακλέους στῆλαι αὗται, καὶ Σεμιράμεως.*"

[12]) Quam male adhuc de Diodori fontibus quaestio se habeat, colligere licet cum ex eo quod dissertatio qualis Schneideri est de Diodori fontibus inscripta omnino potuit redigi, tum quod vel Eduardus Schwartz qui praeclara his rebus praestitit videtur in errores incidisse.

[13]) Euripid. Bacch. v. 275 sqq., quem sequitur Diodorus IV 3. Isdem exemplis usus erat Euripidis aequalis Prodicus cui assensit Persaeus Stoicus (Diels Hermes XIII 1).

[14]) Jam ex armorum usu aliquid ad hanc quaestionem redundat: primae versionis B. dux militaris non nisi iustis armis bellicis pugnare debuit, quae res cum per se pateret, in plerisque narrationibus nihil de Bacchi aut thiasi armatu dictum est; ubi autem describuntur arma (apud Diodorum Lucianum Polyaenum) semper sunt thyrsolonchae, thyrsi acie foliis tecta praediti, 'pragmaticorum' sane inventio quae tamen ita posteritati arridebat (id quod monumenta probant), ut ne apud Nonnum quidem prorsus evanesceret, qui ut in aliis permultis ita in hac quoque re parum sibi constans et diversa miscens saepe Bacchum interdum etiam thiasum facit armis usos, quae nulla essent sine divinae naturae viribus. Thyrsoloncha ipse deus pugnat XIV 243, XVII 232 fortasse etiam XXV 72. Diversis armis utitur XXX 299 sq. inter quae *φιλεύιον ἔγχος* non videtur a thyrsoloncha diversum esse; in iisdem autem versibus etiam *φυτῶν ἑλίκεσσι* et *εὐόρπηκι κορύμβῳ* vulnerat adversarios, his adde XVII 263 sqq. et XL 93 sqq.

Thiasus thyrsoloncha instructus est XIV 343 et 352 sq. (cf. 395 sq.) adde XVII 138 *Βάκχοι ὁπλοφόροι*. Contra nulla habent arma Satyri XVII 15 sqq. et XXVIII 18 sqq. Neque omnino pro thorace galea clipeo aut deus aut thiasus praeter nebridem hederam similem Bacchicum ornatum quidquam ferunt. cf. XIV 129, 230 sqq. XXVIII 29. Comas anguibus cingit B. XLVII 540.

Adde quae Morrheus Indorum rex declamat XXX 16—37 et quae dudum Lycurgo vindicanda esse viderunt vv. dd. XX 229.

Nihil contra hanc rem facit quod XX 265 B. Nonno est *χαλκοχίτων* neque quod Iris eum, ne thoracem et galeam induat, admonet; talia enim Nonno rhetoricae artis magis quam constantiae in describendo studioso condonanda sunt. Accedit quod equidem Bacchum galea armatum omnino nunquam inveni.

Sed graviora sunt quibus Bacchi natura divina illustratur, primum locus ille quem de cornu dei poeta composuit XVII 232 sqq. tum haec prodigia: XIV 411 deus fluminis aquam *μέθης γέρας* e cornu (cf. XVII 110) effundens in vinum mutat. (Flumen esse quod in lacum effundatur colligi-

tur e vers. 386 et 409 coll. 412 et 414 sq. cf. XVI 253 et XVII 111, his explicatur λίμνη φιλάκρητος XVI 403; haec contra Koehlerum collegi. (Die Dionysiaca des Nonnus p. 28). Cumulata sunt mirabilia XXII 1 sqq., imprimis 16 sqq. et 55. Hydaspem fluvium B. incendit narthece, quam solis radiis ferventem reddidit XXIII 255.

Bacchi mutationes habes XXXVI 295 sqq.; in eodem libro 355 sqq. deus vitem ex humo facit germinantem, cuius amplexu Deriades labatur.

Adde quae in expeditione quam contra Perseum B. facit XLVII 657 N. narrat.

[15]) Etiam in singulis quaedam sunt apud Nonnum, quae alteri fabulae formae adversentur quorum maximam partem iam agnovit Koehlerus in praestantissimo quem de Nonni Dionysiacis composuit libello, quo nemo plus studiis Nonnianis profuit, quamquam has discrepantias e fabularum differentia explicandas esse nondum vidit:

Arrianus testis est (An. VI 34) navalem non fuisse Bacchi expeditionem: apud Nonnum pugna navali bellum conficitur.

Megasthenes praeter Bacchum et Alexandrum neminem bellum cum Indis gessisse contenderat (Arr. Ind. 5. 4 et Strabo XV p. 687), contrarium evadere e Nonni verbis (XXXIV 180—194 et XXXVI 436 sqq. cf. XIV 276) vidit Koehlerus l. l. p. 54.

Accedunt quaedam levidensia; septem annos bellum durare apud Nonnum, tres apud Diodorum adnotat Koehlerus p. 71. Nysam Indicam Nonnum ignorare dixi — Nysa ei est urbs Arabiae in qua Lycurgus regnat XX 147 — Quid quod originationem profert nominis Διόνυσος quae omnino a nomine Nysa aliena est VIIII 22. Dicit enim VIIII 16 Bacchum in monte Dracano Iovis femine editum esse, deinde pergit, hanc ob rem, quod Iuppiter usque ad id tempus propter infans quod femore portasset claudus fuisset, puerum Dionysum vocatum esse, quod νῦσος ‚claudus‘ significaret in dialecto Syracusana. Quam originationem huc afferre, nisi fabula esset Syracusana, plana ineptum esset; nostro igitur iure ex his verbis concludimus, montem Dracanum fuisse in Sicilia. Sed Bacchum e Iovis femine natum esse in Icari insulae monte Dracano vulgo creditur (cf. Koehler l. c. p. 17. Preller MG I[3] p. 558) quamquam nullum quo diserte ad Icari montem haec fabula referatur extat testimonium. Nam qui unicus nomen Icarus continet locus, hymni Homerici a Diodoro servati fragmentum (XXXIII inter hymnos) in universum totam insulam indicat; ubi cum per μὲν et δὲ particulas seiuncta sint verba Δρακάνῳ et Ἰκάρῳ, frustra conati sunt vv. dd., locum ita vel emendare vel explicare, ut possit Dracanum in insula illa situm accipi (vide Baumeisterum ad h. l.) quamquam saepe illud nomen etiam alibi occurit. Neque tamen semper eadem forma; velut iam Icari mons apud Strabonem etiam Δρέπανον audit (cf. Krahmerum ad Strab. XIV p. 637) quam vocem eandem esse atque Δράκανον vix opus est adnotare (cf. Pape-Benseler s. v. et Curtius E. G.[5] p. 493). Quid igitur dubitas, quin Nonnus Siciliae promontorium illud notissimum intelligi voluerit? Cui Bacchi natalia vindicata esse certius fortasse habuerimus in eo testimonium, quod Siculum poetam Siciliae potissimum montem praedicasse verisimile sit in Theocriti carm. XXVI 33. Sed hoc carmen genuinum esse nunc negatur (cf. G. Knaack Analecta Alexandrino-Romana p. 58 et 81). —

Oppidum in Icari insulae monte Dracano situm devastatum et ab hominibus relictum fuisse testis est Strabo XIV p. 639, id quod in loco Bacchi religione sacrato, celebri etiam Nonni temporibus mirum esset. — Nonnum profundam suam dialecti Syracusanae notitiam grammatici alicuius commentariolo debere, cuius generis erant *γλῶσσαι Ἰταλικαί*, quas Diodorus quidam conscripserat, de quo vide Ahrensium in Theocriti editione m. Vol. II p. XXXIX, est coniectura Roberti.

[16]) De Deriadis nomine, quippe quod nullam adhuc satis planam nactum sit originationem, non retinebo coniecturam quam feci hic quoque Koehleri nisus acumine, qui (l. l. p. 50 sqq.) effecit, ut Indorum nominibus non iam putemus subesse mythologicas vel mysticas quasdam profundas reconditasque rationes. Lassenus enim in enarranda Alexandri expeditione passim demonstravit, Macedones Indorum nomina saepissime e gentium vel regionum nominibus finxisse. Qua notitia usus mihi quidem recte Morrhei nomen a gente Maurja (cf. Lassen II² 205) Koehlerus derivasse videtur. Similiter fortasse e gente Darada de qua vide Lassen. I² p. 50 et p. 498 sqq. fictum sit nomen Deriadis.

[17]) De Perseo testimonia collegit Koehlerus p. 90. Dinarchi illud testimonium iam a Philochoro allatum esse monuit Wilamowitz.

De sarcophagis ad Indicam Bacchi expeditionem pertinentibus.

Iam ad ipsa monumenta me converto, quae omnia excepta una pictura Pompeiana, de qua infra loquar sunt anaglypha Romanae aetatis. Vasculi enim picturam quam Koeppius in dissertatione cui inscribitur ‚De gigantomachiae in poeseos artisque monumentis usu' p. 44 putat ad Indicam Liberi pugnam pertinere — fragmenta sunt crateris Rubis reperti editi Md I IX. t. 6, quae accuratissime descripsit Koepp l. l. — ipse fatetur argumentis certissimis bellum Indicum repraesentare demonstrari non posse. Sed ne verisimile quidem est, iam illis temporibus, scilicet paullo post Alexandrum Magnum, vasorum pictoribus usitatam fuisse fabulam Indicam, certe non debemus eam sine ullo diserto indicio in eius aetatis monumentis agnoscere. Huic autem picturae nihil omnino inest, quod ad bellum Indicum spectet, cum Bacchi comitis adversarium, cuius praeter crus laevum nihil servatum est, pateat fuisse hominem nudum. Contendo igitur, etiamsi nulla cum probabilitate alii Bacchi pugnae hoc fragmentum vindicare possemus, minime nos debere de bello Indico cogitare. Sed argumenta quibus usi viri docti vetuerunt gigantomachiam agnosci — id quod recte iam fecit Heydemann (Vasen d. Mus. Naz. p. 425. nr. 2883) — ita mihi videntur comparata esse, ut nihil eis evincatur, immo meo iure gigantomachiae partem hac pictura exprimi puto. Primum enim, quam bene quadret ad eam vitis, qua e terra procreata adversarius labatur[1]), ex illis disces locis quos ipse Koeppius attulit; accedit quod in altera vasculi parte, in qua gigantomachia picta est, deest Bacchus. Quod autem Jahnius[2]) dicit antiquitus Bacchi thiasum non intrasse in gigantomachiam, huic ego non puto obstare hoc vasculum, quippe posteriore demum aetate confectum[3]). Et hoc necesse

[1]) Res ita picta est, ut vitis appareat pedes hominis offendere, non ut implicet eos.

[2]) A. d. I. 1869. 190.

[3]) Accedit quod Silenus gigantomachiae particeps est in Euripidis Cyclope v. 5 sq. quod monet Robertus.

est concedas, verisimile non esse, tempore quo ceteras pugnas deus narraretur cum thiaso suo commisisse, in celeberrima gigantomachia adfuisse thiasum nondum traditum esse.

Ad sarcophagos [1]) igitur Romanos venio — inter quos etiam anaglypha enumerabo de quibus non satis constat utrum sarcophagi olim fuerint partes necne — secundum argumenta, quae in iis expressa sint, in tria genera dispertienda; argumenta sunt:

Pugnae Bacchicae ad bellum Indicum pertinentes,
Captivi in Bacchi victoris conspectum producti,
Indicus Bacchi triumphus.

A triumpho, cum omnium frequentissimus sit in anaglyphis, incipere libet. Atque primum quidem duo genera in universum

---

[1]) Sarcophagos qui ad Indicum triumphum pertinerent collegit explicavit locis scriptorum allatis illustravit Petersen A. d. I. 1863 p. 377 sqq., ad quem ne tractata retractem semel te relego. Paullo plura quam Peterseno innotuerunt Stephanio anaglypha, quorum brevem dedit recensum: Compte Rendu pour 1867 p. 164 et p. 165. Cuius numeros cum meis et Peterseniania compono, ita ut primo loco in hac nota afferam Stephanii numerum, tum Peterseni litteram, denique meum numerum:

Stephany l. l. p. 164.

1) Pistolesi descriz. del Vaticano V. 19 = Mus. Pio-Cl. I 33 nihil cum triumpho Indico habet commune, nam animalia, in quibus sane elephas est cum amphora, nihil probant. 2) = M = **3.** 3) = A = **19.** 4) = B = **10.** 5) = E = **2.** 6) = I = **32.** 7) = K = **4a.** 8) = L = **31.** 9) Barbault Monuments ant. pl. 44 non pertinet ad res Bacchicas. 10) = X = **14.** 11) = G = **7.** 12) = H = **15.** 13) = **1.** 14) = **28.** 15) = **20.** 16) = **6.** 17) = **5.** 18) = F = **22.** 19) non pertinet ad res Indicas.

Stephany l. l. p. 165:

1) = **18c.** 2) = **29.** 3) = **30.**

Quod ego primus certo ordine enumeratos et in classes digestos proferre potui omnes sarcophagos adhuc notos, qui ad Indicam pertineant expeditionem, factum est singulari Roberti praeceptoris mei benevolentia, qua ut sarcophagorum apparatu uterer concessit. Cui viro in hac operis mei parte plura debeo, quam quae singillatim adnotari possint. Idem benigne codicis Coburgensis nr. 480 quo tempore huc transmissus esset inspiciendi copiam mihi fecit.

In enumerandis sarcophagis hac ratione usus sum: post numeros quibus mihi ipsi notandi erant posui loci nomen, in quo nunc anaglyphum asservetur. Sequuntur editiones et descriptiones, quas cum integras enumerare absque huius commentationis indole esset non apposui nisi a me ipso inspectas. Sarcophagis quorum imaginem apparatus continet in fine addidi notam: Eich., ne Eichleri sollertiae monumentum desit.

discernenda sunt, quorum alterum typum continet, quem ego pro antiquissimo habeo, alterum reliquam copiam complectitur; ad illum igitur, quem simpliciter numero I significari volo, explicandum iam accedo.

Triumphus Indicus.

I.

Typus antiquissimus.

1 1. Villa Medici. M-D (Catalogus a Matzio et Duhnio confectus) 2272.

Cob(urgensis) fol. 26: M(atzianae descriptionis editae in Academiae annalibus 1871 p. 445 sqq.) 134 et fol. 182, 1: M. 242[1]). Secundum Coburgensem ego primus edidi[2]).

Anaglyphum, cum nunc videatur multo magis mutilatum esse, quam quo tempore Coburgensis pictus est, e re sit ita describere ut descriptione Matz-Duhniana pro fundamento usus quae ego in Cob. vidi enumerem. Quod priusquam facere instituo, semel moneo, me in omnibus anaglyphis describendis semper incipere a parte sinistra, quippe in quibus pompa a sinistra ad dextram moveatur, ita ut, nisi disertis verbis contrarium adnotem, etiam singulae personae dextrorsum incedere intellegendae sint.

Tabula, quae arbore paene in medio posita in duas partes dividitur in quarum dextra alia comparet arbor, continetur ab utraque parte porta, ante quam in sinistra sunt duo équites nudi, qui videntur sequi Bacchi currum, in quo stat deus cum Satyris (omnes sunt imberbes, is qui conspicitur a dextra Bacchi coronatus est); bigam trahunt elephantes praecedente Satyro, qui proboscide ducit elephantem anteriorem, iuxta quem Silenus panthera[3]) vehitur. Haec est una atque principalis scaena, quae arbore

[1]) Coburgensis pictor, cum charta uteretur non satis lata, extremam anaglyphi partem separatim delineavit, id quod saepius factum esse in Coburgensi docet Matz l. l. p. 453. Tamen ille, utpote cui paucorum modo dierum otio ad Coburgensem perlustrandum uti licuerit, hoc cadere in haec duo folia non vidit; quam ob rem in anaglypho ipso describendo de ea figura, quae in f. 182 picta est, dubitavit. Sed nullum dubitationi locum esse eques vexillum satyrus in f. 182 e f. 26 paucis quidem lineamentis, sed ita ut pro certo agnoscantur, repetiti demonstrant.

[2]) Vide nr. 1 in Tabula nostra.

[3]) Pantheram dicit Matzius 2272); sed idem in describendo Cob. (134) tigridem appellat, neque mihi huic bestiae prorsus dissimilis videtur; tamen ut totam hanc rem in suspenso relinquendam esse censeam, multis quae

illa ab insequenti seiungitur; plenae eius descriptioni a Matzio datae (M-D 2272) addo elephantum capita sertis ornata esse. Alteram scaenam ipsam in duas partes divido quarum primam componit cum leone et Satyris Pan, — Satyrus qui a laeva Panos conspicitur coronatus est, in recessu equi pictum est caput in Cob., quod errore pro cameli factum esse testis est Matz (2272) — ad alteram, quae captivis constat, transitus fit Satyro prorsus recte descripto a Matzio, incredibili errore pro Baccha habito a Duhnio, qui non vidit, longam quam putaret huius Satyri vestem chlamydis constare extrema parte, qua vestitus est captivus nudus vel a Matzio dictus; immo chlamys cervicem eius circumdat ita, ut totum pateat tergum, id quod optime perspicitur in Cob. firmaturque fragmento infra apponendo (nr. 4a); ceterum longos captivus ille habet capillos. Feminam captivam, cuius brachia in tergum reclinata sunt, puer alatus nudus — Amor — a laeva parte videtur impellere, adolescens nudus — Satyrus — a dextra trahere. Feminam quae post Amorem conspicitur captivam, reliqua duo capita Satyrorum esse puto. Arbore terminatur etiam haec scaena. Restat eques, a cuius laeva in recessu comparet adolescens nudus, supraque cuius caput eminet vexillum, quod non ipse videtur gerere sed ille cuius supra equi caput faciem vides. Finitur imago Satyro qui circa lumbos nebride cinctus, adstat mediam ante portam qua terminatur opus, habenis equum[1]) ducens.

2. Pal. Albani. Zoega Bassiril. I. tav. 7, E apud P(etersenum). M-D 2273. 2

Anaglyphum quamvis temporis iniquitate pessime habitum, ita ut singula vix distinguantur, tamen eximia pulchritudine fuisse nunc etiam apparet. Stili quoque simplicitatem quandam meliori aetati propriam prae se fert compositio plana, quae longe distat

---

postea cognoscemus commoveor exemplis bestiarum, quae tantum abest ut pro certa aliqua animalium specie agnosci possint (staturam habent vix leoni similem, immo paene cani, caput leaenae cum barba tigridis), ut lingua germanica eas vix aliter nominari liceat, atque 'stylisirte raubkatze'. In quo rerum discrimine, cum pantheram imprimis Baccho sacram fuisse constet, ego plerumque pantheram illud bestiarum genus appellabo. Quam ob rem si cui reprehendendus visus sim zoologicae doctrinae sectatori severiori, consideret velim, non ita accuratam bestiarum notitiam potuisse sarcophagorum habere opifices vel ex compositione animalium Romae publice productorum apparere, quam dedit Friedlaender Sittengesch. Roms II. 332.

[1]) Fortasse non est equus sed mulus.

a posteriorum monumentorum plenitate. Tabulam in laeva parte truncatam esse testatur M.

Tres personae a quibus tabula nunc incipit, Satyrus mulo vehens dimidiatus et duo alii adulescentes coronati, quorum alter nebride amictus est circa lumbos, plane conspirant cum tribus illis figuris, quae finem faciunt antecedentis anaglyphi. Nam gravissima, quae inter utrasque intercedat diversitas, ea est quod adulescentis illius nebride cincti magis obliqua facta est imago in anaglypho de quo agimus et quod paullo propius mulo adstat. Meo igitur iure thyrsum vel facem, quam tertio adulescenti dedit M, puto vexilli esse reliquias pilamque, in qua solarium deprehendere sibi visi sunt idem et Zoega, portae.

Deinde, quae mediam fere tenet tabulae scaena, eadem est atque illa, quam principalem esse dimidiamque partem explere dixi in nr. 1; nisi quod desunt[1]) duo illi Satyri, quos ab utraque Bacchi parte stantes vidimus illic. Satyrus qui bigam in qua deus vehitur praecedit, thyrsum portat, itaque etiam in nr. 1. non hastam sed thyrsum eum tenuisse probabile est. Scitu non indignum videtur, pone umerum eius eodem loco quo arbor est in nr. 1 in hoc anaglypho comparere posterioris elephanti proboscidem alte erectam. Finitur tabula duabus feminis[2]) camelis vectis, quae, cum praecedentes eam pompae partem in qua ipse sit deus respondeant duobus illis equitibus qui currum sequuntur, symmetriae quam vocamus studiosum fuisse arguunt anaglyphi opificem. Intra camelos est leo. In nr. 1 quamquam pro hac alia expressa est scaena, tamen, quod casui tribuere nolim, et cameli caput et leo prorsus eundem tenent locum atque in hoc anaglypho.

3 3. Tertium locum teneat anaglyphum quod est in Vaticano: Mus. Pio-Cl. IV. 23 cf. Millin Gall. myth. 58 Peters: M.

De tabulae statu pauca modo addidit editor, ita ut ne id quidem sciamus, integrane sit. Si imitationi est fides, nullo laborat mendo pulchritudinisque eximiae bene conservavit vestigia[3]).

---

[1]) Utrum re vera desint an modo ita evanuerint, ut adhuc nondum animadversi sint, cum ceteris quae dubia esse videas spero fore, ut denuo examinato anaglypho discamus.

[2]) Feminae sunt certe Matzio, qui recte pro captivis Indicis eas habuit; sed nec vestes longae nec capilli satis certo evincunt feminas eas esse.

[3]) Visconti l. l. p. 167 haec dicit: 'Lo stile del bassorilievo è più ordinario; l'invenzione peraltro delle figure vien dal buono, come la compo-

Anaglyphi argumentum figurarum e duabus quas iam novimus scaenis desumptarum imitatione effectum est. Nam captivus et captiva (nisi quod huius facies est obliqua) presse sequuntur earundem personarum quae sunt in nr. 1 vestigia[1]), nec minus cum nr. 1 et 2 conspirant elephas Satyrusque qui eum proboscide ducit. Elephas autem hic non trahit currum, sed cum captivo qui modo in hac repetitione in eo vehitur inter spolia produci videtur: mutato igitur animalis officio ineptum erat Amorem in cervice eius retineri. — Additis in utraque parte novis quibusdam figuris, inter quas Baccha[2]) hasta in captivum imminens excellit, satis iucunde tota compositio absolvitur.

4. Extremo loco duo pono fragmenta, quae eiusdem esse anaglyphi multa cum probabilitate statuit editor: 4a et b

Pal. Albani. Zoëga Bassiril. I t. 9 et 10. Pet. K. M-D. 2281.

Inter omnia quae adhuc tractavi haec fragmenta videntur longe esse pulcherrima et antiquissima, id quod etiam frgmt. 4a (Zoega I 9) temporum iniquitate valde perditum demonstrat; ita non dubitem primo p. C. saeculo hoc opus vindicare. frgmt. 4a continet Satyrum tuba sonantem captivum et captivam ductam ab alio Satyro similiter atque in nr. 1, nisi quod Satyrus cervice dextrorsum flexa et captiva obliqua expressi sunt facie, ut in nr. 3 captiva. Praeterea in frgmt. de quo ago femina illa diademate vel taenia ornata est. In dextra parte terminatur frgmt. gracili quodam vaso, quod ‘balaustra’ vocat M. A simili frgmt. b (Zoëga I 10) incipit laeva parte. Continet Baccham coronatam dextrorsum pergentem, quae tympanum quod laeva tenet dextra pangit, pantheram Satyrum veterem, qui magnum craterem umeris portat. Clauditur frgmt. reliquiis quibusdam, quae portae fuisse videantur.

Captivi in 4a expressi cum praecedentibus haec frgmt. coniungenda esse docent; sed vix abstinemus quin coniectura longius procedamus. Caret enim captivis nr. 2, quod frgmt. aeque ac 4a et b est in palatio qui dicitur Albani. Facile igitur in eam opinionem delapsi simus, ut tria ista fragmenta idem opus con-

sizione, la quale, benchè semplicissima, empie il campo con naturalezza e senza confusione’.

[1]) Qui captivam ducit satyrus nebride amictus fortasse idem est atque qui in nr. 1. a dextra eius comparet, certe ab illo qui ibi eam ducit diversus est.

[2]) Ridiculum in modum Panofka hac figura ad emendanda Plinii verba quae leguntur n. h. XXXV. 10. 36 abusus est (Arch. Zeit. VI 100*).

fecisse putemus. Sarcophagum ea composuisse existimat Robertus, ita ut in adversa parte frgmt. nr. 2, 4a et 4b in singulis lateribus fuissent. Cui coniecturae imprimis favere videtur 'balaustra' illa in utroque fragmento repetita. Sed non retinebo, quae contra facere videri possint: primum in 4a et b magis etiam ad antiquam simplicitatem ascendere videtur stilus quam in nr. 2, quod paullo est plenius, tum difficultatem faciunt portae reliquiae in 2 et 4b, denique altitudo tabularum nimis videtur diversa esse[1]).

Sed haec omnia non nisi denuo inspectis diligenterque examinatis fragmentis ipsis discerni possunt, maneant igitur in suspenso. Neque ad nostram rem multum interest scire, utrum olim eiusdem operis partes fuerint tabulae istae necne, cum eidem eas compositioni attribuendas esse doceat omnium quas adhuc enumeravi tabularum comparatio.

Archetypum igitur ex his, ut ita dicam, apographis recuperandum est.

Quod recensionis munus, cum paucis eisque plerumque valde mutilatis utamur apographis, in coniectura positum esse satis lubrica non ignoro, neque is sum, qui omnino in his rebus ultra probabilitatis speciem pervenire nos posse putet; sed retinere nolui quae iterum iterumque anaglypha conferenti examinantique mihi in mentem venerint.

Itaque anaglyphum, non alius cuiusvis generis monumentum, his tabulis quasi communem fontem subesse propter stilum huic artis generi optime accommodatum, quem prae ceteris mirum quantum servaverint, autumo[2]). Quod anglyphum, cuius eximia fuerit pulchritudo, ab artifice aliquo inventum est ad triumphum[3])

---

[1]) cf. praeterea Matzium l. l. p. 54.

[2]) Vasculo marmoreo vel statuae basi vel simili operi, quod cylindrica fuerit forma, circumdatum fuisse anaglyphum illud, inde non inepte coniecerit quis, quod in laeva anaglyphi 1 parte paene eaedem comparent figurae atque in dextra anaglyphi 2. Accedit quod bis in nr. 2 imaginem in brevius spatium contraxit opifex; primum locum attulit M. l. l. p. 48 'Dieser (der wagen) wird gezogen, was allerdings in folge etwas zu eng genommener perspective nicht klar wird, von zwei elephanten', alterum in quo idem factum est collatis anaglyphis 1 et 2 videbis intra tres illas, a quibus orsus sum figuras, quarum Satyrus nebride cinctus in 2 multo propior mulo adstat, quam in 1. Id quod facile accidere potuit, ei qui cylindricae formae imaginem in recta tabula imitaretur.

[3]) Ne verbo quidem demonstrare conatus sum, pompam Indicam in ima-

Bacchi Indicum illustrandum: Non translatus est typus aliquis aliunde repetitus ad hanc fabulam. Quod si factum esset, merito miraremur, nihil vel paene nihil cum aliis monumentis nostro commune esse. Nam quod Bacchus dextrum ponit brachium in Satyri cervice, simili modo atque in notissimo musei Berolinensis monumento [Friederichs, Bausteine 624], id mihi non nimis premendum videtur, praesertim cum similitudo non tanta sit (certe in sarcophagis in quibus thiasus Bacchi est expressus deus occurrit cum Satyris ita compositus, ut multo magis huius monumenti imitatio appareat). Neque ullae comparent typicae thiasi personae, quarum in ceteris sarcophagis bacchicis magna est copia, excepta Baccha illa quae tympanum pulsat in 4b[1]). Sed primum incertum est quanta vel quantula in recensione nostra facienda fide dignum sit illud fragmentum, tum habet sane haec Baccha peculiaria, quibus ab illa serie quam infra siglo 'h' complexus sum, disiungitur. —

Sed missis illis, ut altius in archetypi indolem inquirere animumque advertere liceat ad peculiaria quibus opus suum adornaverit sculptor, accuratius singulorum testium auctoritas perpensitanda est:

Musei Pio-Clementini anaglyphum (nr. 3) apparere e diversis exemplaris partibus vel scaenis conflatum esse, supra dixi, nullam igitur auctoritatem ei tribuo; de 4b quod singulare est iam vidimus, maximas autem difficultates habet 4a, quod si propter summam pulchritudinem, qua excellere ex imitatione a Zoëga publici iuris facta concludi debet, recte iudicamus proxime ad exemplar accedere, quasi ab interpolatore profectas videtur damnare eas figuras, quibus locupletius sit nr. 1. Inter has autem est Amor, quem ut interpolatori tribuam non facile adducor, praesertim cum Ovidii verba quae leguntur Fast. III 467 'inter captivas facie praestante puellas grata nimis Baccho filia regis erat' optime femina illa captiva cui Amor sit additus illustrari possint. Talem igitur fabulam, qualem Ovidius narrat, et sculptori et poetae desumptam illam ex Alexandrino quodam car-

ginibus supra enumeratis expressam esse, quoniam et per se patet et factum est, ut pateret, ab editoribus, qui praeterea de elephantis de captivis de Indorum longa coma de aliis rebus scitu dignis verba fecerunt.

1) Satyrus vetus cum cratere non dissimilis est ei qui conspicitur in vasculi marmorei fragmento, quod asservatur in museo Britannico (Friederichs Bausteine 641).

mine in animo versatam esse non absque omni verisimilitatis specie conieceris. Neque prorsus neglegendum est diadema quo captiva illa in nr. 4a ornata est, ita ut vel remoto Amore Ovidii filiam regiam agnoscere liceat. An putas Ovidium hanc fabulam finxisse et opificem poetae verborum memorem anaglypho villae Medici (1) Amorem addidisse?

Restant anaglypha 1 et 2, quorum nr. 1 et propter stilum et quod nondum ita plena est compositio exemplar pressius sequi consentaneum videatur. Id quod tamen propter mancam atque parum accuratam quam de eo nos habere notitiam supra vidimus non nisi valde dubitanter pronuntio. Accedit quod in una certe re monstrat retractatoris manum. Camelos enim, qui Panos et Satyrorum loco conspiciuntur, praesertim cum et leo et cameli caput optime locum servaverint, puto symmetriae causa postea inductos esse; quos si in exemplari fuissent non verisimile est, aliae scaenae cessisse, et, cum Silenus iuxta Bacchi currum vehatur, Pan quoque non procul ab eo loco requiritur.

Pana, comitem Bacchi et quasi praetoris partes agentem saepius apud scriptores invenimus, Silenus belli dux non nisi apud Lucianum occurrit, quamquam aliter ibi descriptus est atque in anaglyphis adhuc enumeratis comparet. Hic Silenus clipeo hastaque armatus non minus videtur artifici proprius esse, quam captivi et pulcherrimus ille Satyrus, qui bigam praecedit. Quem artificem in universum fabulae formam secutum esse vides, quam Macedonicam supra vocavi et Alexandriae viguisse dixi.

II.

Venio ad alteram classem, quae in duos ordines divitur: in ordine II A stat Bacchus, ut in classe I, in II B sedet vel paene prostratus est in curru. Primae classis typum supra vidimus proprie inventum fuisse, ut triumphum exprimeret, secundae classis partem B videbimus nihil esse nisi thiasi imagines — cuius generis permulta extant exempla — additis aliquot figuris triumpho Indico adaptatis. Sarcophagorum genera comprehensa littera II A, vel A[1]) monstrabunt Indicum triumphum admixtis paullatim pluribus pluribusque ex thiaso desumptis[2]) figuris effictum.

[1]) Cum classis I non sit divisa, classis II partes A et B non addito numero II simpliciter litteris illis notare liceat.

[2]) Non dico nos certo scire figuras illas ad thiasum exprimendum primum inventas, indeque ad Indicum triumphum translatas esse, nam etiam

Huius generis permulta novi exempla, quae secundum bestias, a quibus dei currus trahiatur, in tres ordines distinguo:

In A 1 sunt pantherae vel leaenae,
in A 2 elephanti,
in A 3 centauri.

Denique, ut tandem aliquando sit partitionis finis, inter anaglypha quae ordinem A 1 componunt sunt, in quibus cervicem reflectit panthera altera, quae complector siglo A 1 a, et alia in quibus non reflectit, quae mihi audiunt A 1 b[1]).

His praemissis optime spero, me sarcophagorum seriei perspicue disponendae enumerandaeque consulturum, si omnium quae in iis compareant elementorum[2]) praemissa tabula, in singulis anaglyphis modo elementa illa indicabo. A qua tabula, quippe qua copiam elementorum classi II A communium contineri velim, ea iudicavi excludenda, quae semel modo adhuc mihi occurrerint. Tum prorsus neglexi quae ad meam rem minoris videantur momenti neque huic sarcophagorum seriei propria sint: bestias cum Amoribus iocantes Paniscos locorum numina cistas mysticas larvas cetera eius modi, quae Bacchanalium apparatum componant.

Typus A 1.

Bacchus stat in birota, quam trahunt leaenae a Pane loro ductae, paullo dextrorsum versus, capite paullo sinistrorsum reflexo, coronatus et longa toga ita vestitus, ut nulla corporis pars pateat; dextra thyrsum tenet, de laeva non semper satis constat. Leaenarum posteriorem in ‚a‘ caput reflectere iam supra dixi. Leaenis vehuntur pueri cum baculo aculeato, quod *κέντρον* graece vocamus. A Bacchi

contrarium stare potest. Haec duo pro certo pronuntianda sunt: primum per se nihil eas habere, quo ad Indicum triumphum necessario spectent, tum comparere etiam in thiasi sarcophagis, ibique saepissime.

[1]) Fuit, cum putarem bestias in A 1 a esse pantheras, in A 1 b leaenas; sed ad ea quae supra in universum de re zoologica disputavi hoc accedit, quod ex paucis quae non omnia aeque bene servata sunt anaglyphis, quorumque non omnium ab eodem habeo editore vel pictore imagines confectas, nihil certi de animalium forma colligi potest. Nullum igitur discrimen feci ego, neque, si re vera antiqui opifices diversa felium genera exprimi voluissent in 1 a et 1 b, hanc ob rem partitio mea falsa esset, nam aliis gravioribus rebus videbis consentire 1 a et 1 b contra 2 et 3. Ceterum tigrides sunt apud Martialem VIII 26. 8.

[2]) Liceat mihi hoc vocabulo uti in rebus archaeologicis brevitatis magis quam latinitatis studioso.

laeva parte stat in eodem curru Satyrus adolescens, qui quasi socii contubernalisque dei partes agit, ab altera Victoria advolat palmam laeva tenens dextra videtur coronam Baccho imponere, quamquam, cum manus capite dei tecta sit, non apparet coronam eam tenere. Ante Victoriam post leaenas, per quas inferior corporis eius pars tecta est, vel Baccha conspicitur quae altare portat vel Satyrus cum pedo et syringe a cuius dextra (post leaenarum capita) incedit Baccha tibias inflans. Superest in imaginis initio Baccha cum tropaeo, supra cuius caput eminet socius ille dei, quem modo commemoravi. Haec figurarum compositio principalis est pars et quasi fundamentum quo nullus huius classis sarcophagus caret, complector eam totam siglis A 1 a vel A 1 b, singula elementa ita noto:

α Victoria
β Satyrus socius
γ Pan
δ Baccha cum tibiis
ε Baccha cum tropaeo
ζ Baccha vel Satyrus bigam comitans

Sequitur in omnibus anaglyphis:

c elephantus cum Indicis captivis

Praeterea comparent haec:

d Baccha saltans adversa altero sublato brachio altero demisso.

e Silenus magno innixus baculo ferulino toto corpore pallio vestitus, qui dextrorsum pergit erecto corpore, neque omnino ut senex ebrius sed ut paedagogus effictus est.

f 1) Hercules solus pelle leonina indutus facem gerens dextrorsum incedens.

2) Hercules nudus ebrius a Satyris ductus et brachiis sustentatus Nympham aggrediens cui vestem detrahere conatur; clavam eius plerumque Satyrus infans vel Amor portat.

Praeterea semel comparet Hercules in curru triumphali.

z Femina gallum in ara sacrificans ante dei — qui non semper videtur esse Bacchus — imaginem. Quam scaenam, cum etiam in Bacchicis sarcophagis, qui nequaquam ad Indicam expeditionem pertineant, dextra parte extrema compareat, neque proprie ad pompam pertinere ex ipsius

indole appareat, nunc prorsus neglexi, quamquam sane eius interpretatio multis impedita est difficultatibus.

Typus A 2.

Bacchus elephantis bigis invectus similiter atque in A 1 expressus est. Sinistrum pedem videtur paullo promovisse, ita ut totum corpus nonnihil in dextram pronum sit. Dextra tenet thyrsoloncham demissam, de laeva videbimus in singulis sarcophagis, diademate et cingulo quo continetur chlamys circuli forma volitans ornatus est. Elephantis vehuntur pueri vel potius adolescentes chlamyde amicti, quorum coma Indos arguit. Praeterea nullius figurae ut in A 1, constans usus redit. Inveniuntur[1]) elementorum iam notorum haec:

α Ita expressa est Victoria, ut paullo magis spectanti obverteretur; et nonnunquam apparet dextra cum corona.

β, γ, δ.

c_2 quod elementum eo discedit a ‚c', quod non elephanto sed camelo vehuntur captivi.

e_2 Silenus ceterum simillimus typo ‚e', nisi quod curvato corporis statu iam paullo propius ad ebrii senis speciem accedit.

f nr. 1 et 2.

z

Nova elementa inveniuntur haec:

g Baccha saltans cymbala concutiens utroque brachio sublato.

h Baccha tympanum pulsans capite reflexo similis illi quam in classis I nr. 4 b vidimus.

i Baccha adversa syringe sonans altero nudato crure.

k Satyrus qui capite deflexo et altero pede in altiore loco posito (‚hochauftretend') cratere infantis sitim sedat.

l Satyrus dextro brachio puerum portans ad quem vultum reflectit cuique larvam vel aliam rem monstrat.

m Baccha brachio supra caput elato tympanum tenens, quod in tergo eius dependet.

---

[1]) Composui has tabellas ex omnibus qui mihi adhuc sint noti sarcophagis; interim ab unoquoque novo quod terra vel museorum obscurae latebrae luci redditura sint monumento nova elementa quae cum altera altera classis communia habeat sunt expectanda.

Typus A 3.

Hic typus, qui iam multo minus arto cum antecedentibus vinculo coniunctus est, praebet Bacchum stantem in esseda, qua centauri subiuncti sunt, adversum capite paullulum dextrorsum verso modo nebride amictum Satyro innixum cuius umero dextram imposuit; sinistra manu tenet thyrsum. Centaurorum ille qui in tabula eminet est mas: lyram plectro pulsat faciem sinistrorsum retorquet; femina est altera quae tibias inflat.

Scaenae principalis quae est in A 1 elementa praeter Victoriam et Baccham tibias inflantem nulla comparent, nam Satyrus Bacchi socius adeo diversus est a Satyro β ut vix nota β_3 dignus sit.

Habemus igitur:

α_2, quamquam paullo differt ab antecedentium typorum Victoriis.

β_3, δ, ε.

Praeterea ceterorum elementorum extant:

e_2, h, l, z.

Nova accedunt:

n Satyrus, qui puerum portat umero.

o Libera pantheris invecta bigis.

p Captivi pedites a Satyro ducti, quorum unus (ceteri sunt in extrema scaena) quem a tergo vidimus plane conspirat cum eo qui est in typo I (vide anaglypha 1, 3, 4a).

Iam ad sarcophagos ipsos enumerandos accedamus:

Typus A1a.

I.

5. Lyon. Comarmond, Mus. lapid. 1. Eich.

Sarcophagus in universum satis bene servatus est, recentioris iam aetatis stilum opus anaglyphum eo prodit, quod compositio nimis est plena inferiorque pars figuris parvulis referta est.

Continet:

c, e, f nr. 2.

Praeterea comparet camelopardalis et camelus in quo puer vehitur baculo aculeato armatus.

Bacchus fortasse habenas tenebat laeva manu quae nunc deperdita est, servatae enim sunt reliquiae earum in curru.

α Bacchum non coronat.

Pueri in leaenis sunt infantes.

a.

In anaglypho quo dextrum sarcophagi latus ornatum est Pan conspicitur cistam mysticam transsiliens et Baccha h, quae in hac classi usque ad id tempus in adverso sarcophagorum latere nondum inventa est. Ceterum non prorsus cum typo h convenit, quippe quo exprimatur Baccha dextrorsum currens pedibus distantibus: haec autem cum ita pedes posuerit, ut dexter esset ante sinistrum, videtur saltare; accedit quod non satis dispicitur, cymbalisne an tympano sit instructa. Potest igitur ex obliquo eius quem littera g notavi efficta esse exemplo.

b.

Latus alterum Satyrum exhibet et Baccham lyram modulantem.

II.

6. Cantina Borghese. Gori J. A. E. III. 29. Eich. Anaglyphi, 6
quod olim Florentiis erat in palatio Moretti, unde cognitum erat Gorio, per longum temporis spatium memoria evanuerat, donec nuper Eichlerus id detexit in cella illa a se reperta. Opus videtur melioris notae esse quam antecedens; nunc multifariam interpolatoris expertum est manum, qui in media parte magnum interposuit fragmentum, cui nihil cum hoc commune est. Interpolationibus vacat sarcophagi quam dedit Gori imago.

c, d, e, f.

In extrema scaena camelus conspicitur aut camelopardalis.

Bacchi laeva manus restaurata est, ita ut nihil de genuina forma constet; habenas tenuisse non veri est dissimile.

α suo loco non comparet, ubi si omnia lineamenta, ut potes, sequeris capitis barbatae(?) conspicies reliquias, sed summissa est Victoria in locum Satyri β. Nam caput adversum, quod a laeva dei est, femininum esse imprimis eo modo quo comae adornatae sunt evincitur, tum alae vestigia paene evanida pone dei umerum distinguuntur. Manus dextra Victoriae sub Bacchi ala iuxta eius coxam comparet. ζ est Satyrus. d nunc ita est restaurata ut dextra vestem teneat, laeva qua tympanum portat in umero genuina videtur.

Ab Herculis dextra comparet femina, a tergo expressa, quae utrum sit nympha cum Hercule componenda, an partem confecerit sacrificii, in quo e. g. etiam in nr. 15 comparebit similis figura, nunc discernere non audeo.

Scribendum igitur est aut: f nr. 2, aut f 1. z.

III.

7 7. Pal. Giustiniani. (Gall. Giust. II. 122). Peters. G. M-D 2275. Eich.

Sarcophagus paene in omnibus rebus cum antecedenti conspirat, cui etiam quod ad stilum attinet proximus est. Nisi quod praeter Paniscum et infantem, qui Herculis clavam portat, nullae extant parvae in eo figurae.

c, d, e, f 1, z

Bacchi utraque manus nunc est deperdita.

α suo loco est, β esse caput femininum dicit M. ζ est Satyrus.

d nunc habet caput barbatum, quod impudentissima interpolatione ei obtrusum est. Laeva tympanum tenet ut in nr. 6, quod recte videtur restauratum esse, dextra olim loro ducebat elephantum, id quod iam ex Eichleri accurata tabula concludi potest, firmatur testium oculatorum verbis [1]).

IV.

8 8. Woburn Abbey (Wob. Abb. Marbl. 7). Michaelis Anc. marbl. in Gr. Br. 144. Cob. 51 M 132. Eich.

Sarcophagus Frascatis e villa Aldobrandiniensi in Abbatiam illam in qua nunc asservatur venit. Michaelis qui opus esse ‚common place work' dicit propterea non videtur dissentire a Zoëga qui (in apparatu manuscripto) diligens esse affirmat, nam saepissime in accuratissimis operibus nihil invenitur quod assuetas notissimasque formas superet, praesertim ea aetate qua paene in dies deteriorem fieri videamus artem; nam fortasse omnium quos adhuc tractavimus sarcophagorum recentissimus est hic.

Multis quibus nunc laborat supplementis Cob. etiam caret.

Elementorum notorum praeter c nullum comparet. Tum novum extat et adhuc singulare: Hercules stans adversus centaurorum vectus bigis nudus praeter pellem leoninam, qua ita amictus est, ut tergum ea ambiatur et lacinia brachiis superiniecta sint; serto aut catena ornatus est. Dextra tenet poculum, laeva clavam. Centaurus mas lyram sonans ad notum quem in A 3 descripsi typum effictus est, femina cymbala concutit.

---

[1]) Vide Matzium l. l. et Zoëgam in apparatu manuscripto, ubi p. 335 haec dicit: 'il laccio che tiene nella d. passava anticamente senza dubbio al colle dell' elefanto — timpano moderno assieme col. br. s.'

Silenus conspicitur a dextra Herculis parte cum tympano coronatus; a laeva est Satyrus cum pedo, — uterque in recessu stat post Herculem.

In singulis haec notanda sunt: Bacchi manus laeva ita, ut habenas teneret, suppleta est. Zoëga (l. l.) cantharum olim eam habuisse putat, sed cum in tota hac classi A 1 nunquam cantharo insignis sit deus, etiam hoc loco eum puto aut habenas aut nihil in manu habuisse.

α, quae perspicue deum coronat, num laeva palmam porrexerit propter lacertum truncatum paullo altius sublatum qualis extat in Cob. dubium est.

ε recte olim tropaeum gesserat, nunc falso longum inaudita forma pedum tenet.

ζ in Cob. recte parvum portat altare cum flamma.

Pueri qui leaenis vehuntur aperte sunt Indi tenebantque habenas.

Satyrum qui a laeva eius captivi Indici comparet, qui camelo vehitur, in animali quodam equitare docet Eichleri tabula, in qua inter utrumque captivum conspicitur caput, quod quamquam cervinis cornibus est insigne pro camelopardalis capite habeo, errore vel quod nimis iam evanidum esset omissum in Cob.

Puerum, cuius sub elephanti proboscide caput extat, Zoëga describit his verbis: ‚putto vestito e calamistrato all' indiana'.

Herma qua anaglyphum finitur in Cob. omnia quantum potui lineamenta sequenti visa est obliqua viri imago, nunc falso feminae est adversa.

V.

9. Denique huc revocandum videtur fragmentum, quod est in 9
sculptoris Jerichau officina M-D 2277, quamquam nihil continet, ex quo satis certum iudicium ferre liceat.

A 1 b

VI.

Typi A 1 b unum modo habeo plenum testem:

10. Museo Capitolino. Foggini Mus. Cap. IV 63. Righetti 10
descriz. del Campid. II. t. 216. Mori Mus. Capit. IV. 48. Descriptio Romae urbis III p. 184. Peters. B. Eich.

Sarcophagus qui nunc multifariam restauratus est continet c, d, e, f2.

Camelus et camelopardalis supra elephanti et Bacchae d capita comparent.

Bacchus laeva habenas tenet, infantes in leaenis lagobola gestant.

ε nunc falso tropaei loco thyrso praedita est.

ζ qua ratione syringem portat suspicionem movet, illam falso in altaris locum summissam esse.

Bacchae d ambo brachia cymbala tenentia suppleta sunt.

VII.

11 11. Napoli mus. naz. Eich. continet: A 1 b, c.

Unicum hoc extat fragmentum typi plane eiusdem.

VIII.

In universum typo A 1 b simile, sed paullo aliter compositum erat anaglyphum ad cuius quae hodie reliqua est particulam me nverto:

12 12. Ince Blundell Hall. Michaelis 249. Eich.

Continet Bacchum in curru, qui alia forma altiorque est atque quos adhuc vidimus, stantem. Currui subiunctae sunt pantherae sine pueris. Praeterea comparent Victoria Satyrus vetus Baccha.

VIIII.

13 Agmen claudat sarcophagus 13. Cas. Rospigliosi. M-D 2276. Eich.

Anaglyphum quod plenitate cetera superat omnemque modum excedit in singulis saepissime a manu recentiore videtur suppletum esse.

In universum expressus est typus A 1: Socius adest Victoriaque et Satyrus ζ amphoram portans. ε est Baccha sine tropaeo, corporis motu non dissimilis ei quam littera d notavi.

Novum atque singulare adhuc elementum constat elephanto quo vehitur barbarus senex — captivus — quem Satyrus, qui iuxta elephantum incedit, sustentat.

Silenus comparet ebrius leone vectus. Femina quae in extrema dextra comparet simillima est ei quam eodem loco vidimus in nr. 6.

Typus A 2.

I.

14. Sarcophagus qui nunc asservatur in museo Lateranensi, repertus in sepulcro illo ad viam Latinam sito. Editus est a Peterseno Mon. d. I. VI. 80. 1. qui eum interpretatus est in commentatione supra laudata signatum littera X. 14

Benndorf u. Schoene Lateran nr. 408. Eich.

α_2, g, e_2[1]), centaurus lyra sonans quo vehitur Satyrus infans, qui tibiam vascam inflare videtur. h, i[2]), k, femina cum face, quae fortasse pars fuerit scaenae z. Inter g et h camelopardalis conspicitur caput sinistrorsum versum.

In parte principali velim animum advertas ad Bacchum qui laeva quae elephanti nititur dorso, poculum tenet eversum, cuius quod defluxurum est vinum panthera inter elephanti pedes currens cervice reflexa oreque hiscente sorbere videtur.

Diligentioris et antiquioris sculptoris sequantur haec duo opera quae sunt in villa Pamfili.

II.

15. Villa Pamfili. M-D 2274. 15

Pet. H. Eich.[3])

α, β, ε, c_2, h, e_2, d, f1, z

Panthera simili modo bigam sequitur, ut in praecedenti exemplo, Bacchusque laeva poculum tenet. Adolescentes, qui elephantis vehuntur, cincinnis hic clarius atque in sarcophago Lateranensi pro Indis agnoscuntur.

α palma insignis est, sed coronam non tenet.

h, etiamsi manus desint et tympanum, clare agnoscitur.

f 1 dubitanter posui, nam M putat esse Satyrum.

III.

16. Villa Pamfili. Cob. 39: M 133. 16

M-D 2297. Eich.

Nescio an tabulae in sinistra parte aliquid desit.

γ, d, f_2, z.

---

[1]) Errore cornu copiae Sileno datum est a Benndorfio et Schoenio.

[2]) Et brachia desunt et instrumentum.

[3]) Eichleri confisus sollertia in singulis nonnunquam a Matzii descriptione discessi.

A Panos dextra caput umerique conspiciuntur viri barbati thyrso insignis, quem Silenum esse puto; thyrsus non videtur antiquus esse.

Eich. et Cob. nonnullis rebus inter se discrepant, quorum praecipua recenseo:

Eich. Bacchum fecit laeva tenentem rem aliquam, quae nulla ratione dignosci possit quamque fuisse poculum ex analogia praecedentium exemplorum et e panthera olim concluseram, neque aliter visum est Matzio: In Cob. straguli quo elephas tectus est rugam deus carpit. Rem ita fortasse se habuisse, ut habenas teneret velut in sarcophago quem statim afferam, coniecerim; quamquam ne minimum quidem hoc loco habenarum vestigium in elephanto deprehenditur.

Eichlerus pueros, qui lagobola tenent, elephantis vectos capillis pinxit cincinnatis, cum in Cob. brevem habeant comam. γ, ut semper, etiam in hoc anaglypho pedo erat insignis, id quod firmatur 'punctillo' quod vocant. Punctillum omisit Cob.

Quod Sileni esse puto caput viri barbatum, mihi auctoritas Coburgensis accedit, in quo coronatum est.

Bacchae δ aetatem tulit brachium laevum cum tibia directa et lacertus dexter. Cob. habet duas tibias curvatas et utrumque brachium. Cum autem nusquam compareant praeterea in monumentis duae tibiae curvatae, non potest hac in 're melioris anaglyphi status imaginem praebere Cob. Immo tibiae illae interpolatione ortae sunt, quam aut in anaglypho ipso iam saeculo decimo sexto aut in Coburgensi—teste ceteroquin fidelissimo—factum esse statuendum est.

Satyri qui Herculem ducunt apud Eich. superiore labro clare barbati sunt.

Nymphae caput quod ibi corona caret Eichlerus damnavit. In Cob. caput est coronatum paulloque magis sinistrorsum versum.

Dei simulacrum, ante quod femina sacrum facit, ut pro Baccho habeatur neque in Eich. neque in Cob. ulla est causa.

IV.

17 17. Villa Ludovisi. Cob.[1]) 30: M 135
Schreiber 144, M-D 2296. Pet. D. Eich.

---

[1]) In folii reverso locus Plinianus (n. h. VIII. 20) excriptus est.

α, l. Altare cum flamma. Baccha quae facem in eo incendere videtur. Satyrus serto ornatus cum lyra. Baccha saltans. Silenus lyra modulatus. m Sileni Herma.

Matzii descriptio (2296) ita cum Eich. et cum Cob. consentit, ut paene nihil mihi addendum sit.

Bacchum laeva elephanti dorso nixa habenas tenuisse Eichleri accuratissima imitatione firmatur, in qua tres digitos habenasque vidimus in elephanti dorso.

Puerorum graciliorum — sed qui nondum sunt adolescentuli — dexter *κέντρον* tenebat, cuius remansit in elephanti aure reliquia.

In Cob. Satyri l extat pars brachii sinistri sublati, quo larvam eum tenuisse est consentaneum.

Utrem quem in Sileni simulacro Duhnius se vidisse affirmat (2296) satis plane exhibet Eich.

V.

In fine tria fragmenta complector uno numero, quorum pri- 18a
mum extat Romae in horto qui est pone casino quod vocatur Borghesianum.

18a Fragmentum detegit Eich.

Continet elephanti partem anteriorem, in qua vehitur adolescens dextra *κέντρον* gestans. A dextra elephanti est Satyrus nudus adversus capite sinistrorsum reflexo qui laeva pedum tenet. Deinde conspicitur Baccha dextrorsum pergens.

b 18b

Eiusdem fortasse sarcophagi partem confecisse putat Robertus frgmt. quod in eadem est villa Borghesiana. M-D. 2283. Quod continet c_2 et Satyrum.

c 18c

Nihil cum illis commune est tertio fragmento quod editum est: Monumenta Matthaeiana III. 48 (aliunde mihi non innotuit) quod huc revocandum duxi propter camelum quo duo viri vehuntur, et adolescentem hasta vel fortasse thyrso insignem, ita ut in universum expressum sit c_2.

Typus A 3.

I.

19 19. Vaticano. Visconti Mus. Chiaram. I 34 Pet. A. Eich.

α_2, ε,

Post tropaeum pedum conspicitur, ita ut hoc loco possit olim extitisse β, cuius tamen nunc ne minimum quidem vestigium est.

p, δ, e_2, z.

Elephanti et cameli quorum plures comparent nihil cum elemento ‚c' commune habent.

II.

20 20. Uffizi. Gori. J. E. A. III. 19.
Duetschke 99. Eich.

α_2, h, n, δ, o, e, p.

Sarcophagus qui non pauca sed recta praebet supplementa in universum severioris artis leges sequitur, compositio quamquam divisa est quasi in anteriorem et posteriorem scaenam, tamen omnino etiam caret parvis illis figuris quibus posterior aetas ad spatium replendum usa est; Roberto iudice etiam secundo p. C. saeculo adscribendus est.

Vitis quae est in anaglyphi initio, cum ad umerum Satyri se applicet, Ampelum hunc vocandum censet Duetschkius, nimis fortasse argutus in tali opere interpretando.

In centauri dorso Amor stabat cum vexillo, id quod ex. Eich. satis clare apparet.

Silenus modo superiore corporis parte supra pantheras qui Liberae currum trahunt eminet; neque in spatio in quo expectaveris pedes eius videntur expressi fuisse.

III.

21 21. Villa Medici. Cob. 7. M 138. M-D 2303.

l[1]), δ, n, e, m, k.

Quod huic catalogo inserui hunc sarcophagum, quamquam nec Victoria neque Indici captivi neque elephanti in eo comparent, feci cum propter thyrsolonchas quibus armati sunt et Bacchus et socius eius tum propter summam cum praecedenti similitudinem.

---

[1]) Et l et m et quae a dextra eius extat dei Herma summam cum iisdem in 17 elementis praebent similitudinem, quod anaglyphum etiam propter stilum cum hoc componendum est; medio vel ineunti saeculo p. C. secundo utrumque adscribere non dubito.

In qua illud me pungere non desinit, quod prorsus eodem loco quo in 20 est centaurus feminina tibias inflans, hic est Baccha δ, cuius pedes teste Cob. non videntur in anaglypho expressi esse.

Satyrum l sinistra manu nunc deperdita larvam illam tenuisse quae iuxta Panos caput — de quo recte Duhnius iudicavit — conspicitur, adeo perspicuum est in Cob., ut mirum sit M-D id non perspexisse.

Satyrum in dextra anaglyphi parte sedentem, quamquam sinistrorsum est versus, non haesitans littera k notavi propter vas ligneum, quod teste Matzio Satyro infanti porrigit nunc deperdito, ut biberet.

Baculi ferulini 'punctillum' iuxta caput Sileni servavit Cob. Ceterum parum constans est in hac classi typorum usus, cum in 19 compareat e_2, hic autem prorsus eodem modo quo in A 1 Silenus expressus sit.

Constantiam vero qua Pan bigam ducens (γ) ab huius classis anaglyphis alienus est casui tribuendam puto, et propter exiguum testium numerum, et propter anaglyphum apud M-D descriptum sub numero 2757 in quo Pan bigam ducit in Amorum thiaso non dissimili typo A 3. —

Typus II B.

Quattuor anaglypha componunt classem B, quorum duo quae Bacchum monstrant iacentem et inter. se sunt simillima, si placet, B 1, duo reliqua in quibus sedet deus B 2 comprehendas siglis.

B 1.

I.

22. Louvre. Clarac II 144. Cob. 28: M 131. Pet. F. Eich. 22

Tabulae partis nunc deperditae imaginem servavit Cob., unde praeterea discimus, nunc pauca esse restaurata, quae tamen parvi sunt momenti.

Compositio huius anaglyphi longe distat a priore classi, nam pars principalis, Bacchi dico bigam, non in tabulae initio posita est. Incipit autem anaglyphum a femina quam falso alatam exhibet Clarac; est enim Baccha, quae tropaeum portat, cuius hastam videre licet vel in Cob, ‚punctillum' iuxta Bacchae caput conspicitur apud Eich. Similis Baccha agmen claudit ab altera parte.

Inter has Bacchas interposita est tota reliqua scaena, quae clare in duas dividitur partes, quarum anterior constat elephanto parvo quo duo captivi vehuntur diverso quidem ab elemento c, tum Bacchi[1]) curru, quem praecedit Silenus similis typo e_2, nisi quod nebride modo amictus est, qui pantheras ducit, ut Pan in A 1 a, — id quod in Eich. extra omnem dubitationem versatur — et fortasse laeva nitebatur baculo ferulino, deinde haec pars quae in imagine eminet mulo constat colle tintinnabulo ornato in quo sedet puer nudus qui canistrum portat frugibus repletum. In extrema scaena sic personae se excipiunt: pone elephantum est Baccha h, sequitur Baccha, quam propter brachia quae sublata fuisse fragmenta docent puto fuisse g.

Post Bacchum ab utraque parte duo virgines conspiciuntur galea et clipeo armatae (Virtus et Bellona). Post Silenum Satyrus comparet laeva pedum tenens, in dextra eius syringem fuisse docet Cob. Sequitur Baccha δ quae nunc tabulam finit; curvatam eius tibiam et quae sequuntur solus servavit Cob. Post puerum mulo vectum ab utraque parte sunt Baccha adversa saltans cum veste undulata, quae in universum conspirat cum d, et Baccha cum tropaeo.

II.

23 23. Villa Pamfili. M-D 2278. Eich.

Descriptio Matz-Duhniana prorsus conspirat cum Eichleri tabula, ita ut nihil mihi restet addendum. Sed velim consideres, quantum in singulis diversa sint haec anaglypha quae in universum optime inter se consentiunt. In qua re gravissimum est, quod non puer sed Silenus hic mulo vehitur, et Sileni loco Pan bigam ducit.

Huius sarcophagi imago est inter eas quas condidit Pozzo, qui etiam anaglypha, quibus latera ornata erant, quaeque nunc videntur deperdita esse, pinxit. In latere laevo repetitus erat elephas ille cum captivis e latere adverso, quem loro ducit Baccha cum tropaeo a qua incipit lateris adversi anaglyphum. In dextro latere duo sunt iuvenes galeati gladio clipeoque armati amicti calceis et veste quadam brevi, cuius formam cum veritatis specie careat non opifici sed pictori tribuerim.

---

[1]) Bacchum thyrsum tenuisse reliquiae docent quas Eichlerus accurate depinxit.

B 2.

I.

24. V. Pamfili. M-D 2302. Eich. 24
Hic sarcophagus, vilissimum opus, praeter illud quod sedet Bacchus, similis est duobus prioribus.

Ad descriptionem a M-D confectam adnoto quae mihi Eichleri tabulam examinanti aliter visa sint: Primum ridiculae illae bestiae quibus Pan praecedit, si modo ullo nomine sint dignae, fortasse aptius vel potius minus inepte camelopardales audiverint. Quae tum recensentur Bacchae sunt δ et h, Satyrus est n. Quae praeterea describuntur figurae de quibus inter Matzium et Duhnium non convenit, sunt Virtus et Bellona plane ut in 22 et 23.

II.

25. V. Ludovisi. Schreiber 142. M-D 2285. Cob. 57: M 139. 25
Pet. C. Eich.

Vix inter anaglypha quae triumphum Indicum exprimant enumerandum est hoc, nam Victoriae de qua dubitavit etiam Schreiberus (l. l.) omnino nullum in Eich. extat vestigium.

Sed aliud inest quod sane non nisi admissa analogia quadam cum triumpho Indico explicandum est, Silenum dico, qui prorsus ad Bacchi exemplum Satyro nixus, curru triumphali vehitur quem trahunt centauri.

Communia habet cum ceteris anaglyphis fortasse γ — nam incertum est, utrum Pan loro duxerit pantheras necne — Herculem f_2 Baccham h[1]). Adest praeterea Satyrus tibias inflans ut Baccha δ, quae figura frequentissima est in thiaso; in triumpho Indico adhuc nondum inventa est.

Classe B absoluta finem totius ordinis II faciat fragmentum quod non possum non huic ordini attribuere, quamquam quod stilum attinet longe recedit a ceteris exemplaribus quibus multo videtur esse vestustius. Sed typus prorsus idem est atque ille

[1]) Id quod praesertim ex Eich. apparet. — Matzius falso dicit cymbala eam concutere.

quem siglo f_2[1]) notatum saepius invenimus inter anaglypha quorum modo enumeravi seriem.

26 26. V. Albani. Zoëga II. 67. Eich.

---

27 27. Singulare adhuc est fragmentum[2]) in quo Bacchus et Hercules eodem curru iuncti sunt, centauris bigis vecti. Extat in Vaticano (Loggia scoperta.)

Mus. Pio. Cl. IV. 26.

Initio tabulae comparet plane cum typo A 1 conspirans Baccha ε.

Ne ignorare videar quae consulto omisi, appendicis loco enumero primum, quae fortasse ad nostram rem pertineant fragmenta:

1) M-D 2282. S. Paolo. Elephas.

2) M-D 2279. Mus. della Sapienza.

Duo fragmenta, in quibus sunt captivi, Baccha, asinus.

Tum, quae fortasse alii putaverint, huc trahenda esse, sed ita comparata sint, ut nihil certi ex iis appareat, sunt haec:

1) M-D 2284. Pal. Castellani.

2) Fragmentum Britannicum: Soane Museum, descriptum a Matzio in apparatu manuscripto nr. 744.

Centaurorum biga.

Apparet, ei qui de archetypo classis II aliquid statuere velit maxime in censum vocandos esse testes ordinis A 1, nam, ut de B taceam quod paucis constat exemplis quorum cum thiaso similitudo ea est, ut in hac quaestione prorsus abicienda sint, etiam A 2 et A 3 nullo constituto certo ordine eadem ostendunt elementa, quorum pars quidem ad normam quandam constantem composita est in A 1.

Vides elementa in duas partes abire: ab altera stat scaena principalis, quam siglo A 1 a vel A 1 b comprehendi, cui accedit in omnibus anaglyphis elephas captivos portans (c). Itaque A 1 a + c etiam in archetypo sic fuisse debet. Ab altera parte stant reliqua

---

[1]) Herculem enim agnoscendum esse, quamquam et clava deest et pellis leonina, apparet.

[2]) Tabulam non esse integram, id quod per se probabile est, apparet ex editione quadam cuius nunc tituli oblitus sum. Communem triumphum Indicum etiam Petersenus agnovit (l. l. p. 384).

elementa omnia, quorum nullum in omnibus comparet exemplis, quamquam, si modo comparent, certus ordo etiam his constitutus fuisse videatur; nam in typo A 1 semper ita se exipiunt: d, e, f, quem ordinem non iam servant in A 2 et A 3.

Sed alia praeterea ratione ab altera elementorum classe altera seiungitur, prima enim ea continet quae bellicum triumphum diserte videantur exprimere. Primum enim, quamquam vacillat Bacchi ornatus, tamen in thiaso saepius nudus vel modo nebride amictus est, cum in A 1 et A 2 semper, ut nulla corporis pars pateat, vestitus sit; etiam quod curru vehitur triumphali huc facit. Tum praeter Victoriam hic adest Baccha cum tropaeo. Denique maxime ad hanc rem valent elephanti et captivi. Cetera autem elementa eodem iure locum habere possunt in thiaso habentque profecto, id quod statim demonstraturus sum, excepto Sileno e, quem in unicum in quo conspiciatur thiasi sarcophagum Vaticanum (Gerhard. A B 110, 2) ex triumphi imitatione translatum existimo.

A certioribus igitur ut ordiamur, consideremus paullisper partem A 1 a. Quam primo obtutu videbis minime ita comparatam esse, ut satisfaceret severae artis legi, qualis non solum ante C. n. saeculis sed etiam, ut videtur, primo saeculo p. C. vigeret. Demptis enim vel omnibus parvis illis figuris, quae in nonnullis anaglyphis spatium explent inter leaenarum pedes, plenissima manet compositio quae in quattuor paene dividitur scaenas: post ε enim est Bacchus, post Bacchum β, pone currum incedunt ζ et δ, in extrema denique scaena Victoria est. Ne obicias mihi, non potuisse aliter adornari anaglyphum in quo biga esset expressa: obstat classis I, in qua vidimus multo simpliciorem fuisse figurarum dispositionem. Ne autem temporibus nimis recentibus adscribamus classis II archetypum eo prohibemur, quod inter ordinum A 2 et A 3 anaglypha, quae aperte ex eodem atque A 1 exemplari elementis liberius dispositis mutatisque animalibus videntur orta esse, inveniuntur exempla, quae usque ad saeculi secundi p. C. initium vel altius etiam ascendant.

Quodsi hac ratiocinatione eo adducimur, ut aetate qua prisca Graecorum anaglypha componendi ratio etiam vigebat exemplar factum esse censeamus — id quod praeterea quem in aliis sarcophagis deprehendimus commendat usus — iam hac re fateor me commoveri ut ex exemplo, quod fuerit statuarum compo-

sitio[1]), effictam fuisse putem eam imaginis partem de qua agimus. Sed accedit aliud: si, quae anaglyphis expressa video, velut viva et vera ante oculos conformare studeam — nam optime plerumque in melioribus certe exemplis typi A 1, ‚perspectivae‘ quam nos dicimus artis leges servatae sunt — compositio evadit plane symmetrica, dempta scilicet Victoria, quam scimus inter eas esse figuras, quae saepissime additae sint a sarcophagorum opificibus, et Baccha *δ*, quippe quae aliis in anaglyphis neque solum in iis quae Indicum exprimant triumphum saepissime et variis in pompae partibus occurrat, ita ut eam non necessario cum hac parte coniunctam fuisse perspicuum fiat. Pan enim qui bigam praecedit Bacchus socius *β* mediam tenent, ab utraque parte est leaena cum puero Indico, denique ab utraque currus parte ingreditur Baccha vel Satyrus (*ε* et *ζ*). Quod *ε* etiam in 27 currum triumphalem sequitur et quod in anaglypho edito Mus. Pio-Cl. V. 8 comparet Baccha *ζ*, inde non multum ad meam coniecturam probandam redundare existimaverim, quamquam anaglyphorum opifices minus probabile est imitatos esse singula elementa ex anaglypho desumpta quam singulas statuas; maioris autem momenti est quod statua extat in Museo Britannico (Clarac, mus. de sculpt. 4. pl. 726 A 1740 A) Pana repraesentans simillimum typo *γ*.

Alterius classis elementorum pleraque verisimile est ex statuariis efficta esse exemplis, de nonnullis paene certum est. Quam opinionem probabilem me reddidisse puto, primum si easdem figuras variis pompae locis comparere non solum in triumpho Indico sed etiam in thiaso ostendi; nam per se plus verisimilitudinis habet, opifices statuas in anaglyphis imitatos esse quam singulas figuras ex aliis anaglyphis depromptas; quamquam huic argumento soli non ita multum tribuendum est. Tum gravius est quod nonnullae figurae ad alteram partem conversae comparent, vel ita ut opificem simpliciter statuam quandam ab alia parte vidisse et expressisse appareat atque illa, cui obversa in nostris

---

[1]) Extitisse tales Bacchicarum statuarum compositiones uno certe testimonio allato a Kampio (de Ptol. Phil. pomp. Bacch. p. 24) verisimile redditur, quod extat apud Heronem Alexandrinum in libro cui *περὶ αὐτοματοποιίας* inscriptum est (Mathem. Vett. opp. ed. Thevenot p. 246). Qua in descriptione cum haec legis: ‚*ἐκ δὲ τοῦ σκύφους οἶνος ἐκχυθήσεται ἐπὶ τὸν ὑποκείμενον πανθηρίσκον*‘ velim recorderis praeter alia etiam anaglyphorum 14 et 15.

conspiciatur anaglyphis, vel ita, ut symmetrica sit altera figura alteri, id quod quamquam non negandum est potuisse fieri etiam in anaglypho, tamen facilius sane fieri poterat in statua. Denique inter permultas quae aetatem tulerunt statuas Baccharum Satyrorumque et quae sunt similia inveniuntur, quae cum uno aliove nostrorum elementorum vel cum iis quae non nisi in thiaso compareant elementis conspirent. Atque mihi quidem non dubium videtur, quin diligens statuarum copiae examinator ratione etiam habita omnium anaglyphorum in quibus thiasus est repraesentatus — id quod a meo consilio alienum erat — multo plura exempla inventurus sit statuarum in anaglyphis expressarum quam mihi contigerit.

Singula igitur elementa perstringam, quod priusquam faciam hoc moneo, me ea quae ex thiaso afferam modo exempli causa enotasse et hunc campum nunc quidem pede festinante intrare velle, minime totum diligenter perlustraturum esse.

Bacchae *δ*, quam iam in A 2 et A 3 diversis pompae locis conspexisti, haec e thiaso enotavi exempla:

Coburgensis 50: M 149, M-D 2357. eiusdem fol. 55: M 143.
Villa Pamfili. M-D 2262, Eich.
Verona. Mus. Veronens. LXXIII, 1. Duetschke 435.

Venio ad Baccham d, de qua iudicium paullo intricatius est, nam modo in tribus comparet anaglyphis, in uno quoque autem eodem loco, id est a dextra elephanti, sed in 7 vidimus eam dextra tenuisse lorum quo elephantum ducebat, et laeva tympanum portasse in 6 constat. In 10 autem, ubi ambo brachia cum cymbalis recentioris aetatis sunt opus, cum nullum extet vestigium neque lori neque tympani, de genuina forma nihil concludi potest. Etiam statuae quae extat in villa Albani (Clarac mus. d. sc. IV. pl. 694 B. 1656 D) plane vel in singulis cum hac Baccha conspirantis item brachia cum cymbalis restaurata sunt. Quae supplementa quam falsa sint, nemo, qui ad rationem cymbala concutiendi animum adverterit, non videt.

Plura discimus ex anaglypho quod edidit Gerhard (A. B. 110, 1) in quo conspicitur Baccha simillima ei quae est in 6 laeva tympanum dextra volitantis pallii laciniam tenens. In eodem anaglypho paene eadem recurrit sine tympano utraque manu continens lacinias; similiter expressa est in palatii Mattei sarcophago (Mon. Matth. III.

8. 1; Eich.). Denique non multum diversa est ea quae extat Mus. P-Cl. IV. 20, cuius in manibus nihil est. Adde praeterea, si placet, Baccham quae in typo II B comparet.

Ut dicam, quid sentiam, puto statuam extitisse, qualis est in villa Albani, Bacchae saltantis dextra demissa pallii laciniam laeva sublata tympanum tenentis, quae his omnibus imitationibus quasi exemplar subsit (nam pro pallii lacinia lorum manu inserere non grande erat) nisi forte duas similes statuere mavis quales anaglyphum supra commemoratum exhibet.

Difficilior etiam res est in g, quae fortasse fuerit statua non dissimilis Bacchae saltanti musei Berolinensis (nr. 755 A), quam is, qui mecum summam in exprimendis celeberrimis statuis libertatem concesserit antiquis artificibus, qui paene nunquam ad amussim repeterent talia exemplaria, saepissime autem iis uterentur, recognoscet modo ab hac modo ab illa parte visam, modo brachiorum modo pedum paullulum immutato[1]) motu vel symmetrice expresso, in his figuris, quae in perlustrandis anaglyphis mihi occurrerunt quasque ita, ut cum illis quae maxime inter se consentiunt ordiar, hic enumero:

Primum locum, ut par est, teneat Baccha quae in nr. 14 comparet, quae et vestitu et brachiorum motu proxime accedit ad statuam Berolinensem. Non multum differt ea quae conspicitur Cob. 55: M 143[2]). Liberiore capitis flexu et brachiis paullo plus dextrorsum sublatis occurrit Cob. 119: M 142. Adde, quae tota adversa expressa est, Baccham e Musei P-Cl. II tabula B II. 5. (Bacchus et Ariadna). Denique similem reperi in sarcophagorum apparatu descriptam e Francisci Spinolae sarcophago qui Genuae extat (Pal. del Municipio) et fortasse Gerhard A. B. 110. 2, nisi forte crotala tenet.

Obliqua eadem expressa est in typo II B[3]) iuxta Baccham

[1]) Inter talis immutationis exempla, quae etiam picturae Pompeianae praebeant, maxime huc facit Ariadna demisso brachio laevo quae ceteroquin cum statua Vaticana convenit (R-Rochette Choix de p. etc. pl. 3). Confer Ariadnam apud Zoëgam Bass. LXXII. Adde Nymphae statuam Mus. Pio-Clem. III. tav. C. IV. et Ariadnam quae comparet in sarcophago Arch. Zeit. 1884 p. 273. Vides me in hac re dissentire a Furtwaenglero qui medio primo p. C. saeculo statuam Vaticanam attribuit. (A. d. I. 1878 p. 97. sqq.)

[2]) Cymbala nunc desunt.

[3]) In quo typo alia quoque quae praeterea extat Baccha saltans, quam

h. Qua conditione si utitur summam cum h habet similitudinem, quippe quod cymbala ita alterum ad alterum quadrent, ut vix ab uno tympano (nam parvum tympanum magno cymbalo non maiùs est) discerni possint, neque in imitationibus conficiendis semper satis animum adverterunt ad hanc rem pictores. Quare ego, cum etiam caput reflexum, quod olim putavi Bacchae h proprium esse interdum ab opificibus neglectum sit, vel etiam g non minus eo sit insignis [1]), ea re has duas distinguo, quod h currens est inducta altero pede longe prolato, g autem saltat, ita ut crus crure tegatur. Vestitum enim adeo pro sua quisque libidine vel e suae aetatis more adornaverunt opifices, ut eius nullam in typis hisce distinguendis auctoritatem esse putem. Itaque praeter anaglypha modo in adnotatione commemorata g in his agnosco: Pal. Mattei (Mon. Matth. III 8. 1 Eich.) Zoëga, Bassiril. LXXVIII. (Infantium thiasus) Cob. 50 (149) M-D 2357 ubi est sinistrorsum versa; praeterea quamquam, habeatne cymbala an tympanum non certo scio in duobus sarcophagis, quorum alter extat Venetiis apud L. Seguso (Eich) alter est in Villa Pamfili (M-D 2262. Eich.). Finem enumerationis faciat sarcophagus Burdigalensis qui nunc Parisiis asservatur (Louvre. Clarac II, 127. 148). Ibi comparet Baccha, quam si consideraveris ita in extrema tabula collocatam esse, ut locus legem praescriberet motui, fortasse huc revocandam putaveris, tamen cum paene contraria sit statuae a qua profecti sumus non ita artis finibus circumscripserim artificum ingenia, ut non et hanc et fortasse aliam earum quas modo enumeravi, ad aliud exemplar revocandam esse concederem.

Ordine inverso, ut Baccharum figuras continuo perstringam, statim ad h transeo. Quae quam saepe in nostris sarcophagis comparuerit vidisti, in thiaso non est rarior, ita ut exempla afferre non opus sit. Similem extitisse statuam, fidem facit Cob. 52 (146), ubi ab altera. parte expressa est (non symmetrice, nam recte laeva tympanum tenet). Ceterum paullo liberior in ea effingenda fuit opifex qui volitante veste eam paene nudam fecit, simili typo atque, ubi

---

supra fortasse ‚d‘ esse dixi, si Coburgensem sequeris (28: M 131) non omni cum hac similitudine caret.

[1]) Vide quam similes sint et capitis et brachiorum motu in sarcophago cuius duae partes pictae sunt Cob. 46: M 145 et 53: M 144; g est capite reflexo in sarcophago supra commemorato. Gerhard. A. B. 110. 1.

dextrorsum versa comparet, Cob. 46 (145) cf. 55 (143), ubi superior corporis pars patet, et Zoëga Bassir. LXXIX.

Sinistrorsum versa praeterea in his duobus comparet sarcophagis:

Villa Massimi, cuius modo imaginis quam confecit Pozzo vidi apographum, et Casino Rospigliosi, M-D 2312. Eich. His igitur adde Baccham quae comparet in 4 b, tum eam quae superiore còrporis parte nuda capiteque ornatu carente efficta est in anaglypho villae Albani (Zoëga LXXIX)[1]).

Diversa ab hac serie est Baccha magnum tympanum pulsans capite elato sed non reflexo, quae in tempora multo antiquiora videtur ascendere, tamen omnem inter utramque figuram conexum negare non audeo. Loquor enim de figura quae est in notissimo cratere marmoreo Atheniensi edito a Welckero Z. f. A. K. p. 500 sqq., qui de thiasi figuris egit, (cf. Mueller-W. II 34, 396, Mus. Borb. I 49); cum hac velim compares vasculum pictum quod editum est Mon. d. I. I 50 et amphoram Anzianam editam a Stephanio (C. R. 1861 t. VI. p. 82).

Bacchae i unum modo exemplum inveni, sed quo confirmetur syrinx, est sarcophagus ille Genuensis, quem modo attuli (p. 40).

Cob. 46 (145) videtur exhibere m sinistrorsum versam, quamquam tympanum quatit ambobus brachiis supra caput sublatis.

Transeo ad Satyros.

Satyrus k symmetrice expressus est in sarcophago Mosconiensi (Bull. d. I. 1880 p. 26. et Monum. Matth. III. 8. 2). Cum 14 conspirans est Mus. Pio-Cl. V. 8.

Plinii verba (n. h. 36, 5, 29) ‚Satyri quattuor ..... tertius ploratum infantis cohibet, quartus cratere alterius sitim sedat' iam Petersenus huc traxit.

Satyrus l praeter 17 et 21 comparet sinistrorsum versus in sarcophago Marchesiano (Eich.) qui deest apud M-D; item sinistrorsum versus et symmetrice expressus, ita ut infans sedeat in brachio laevo comparet Mus. Pio-Cl. V. 8. Denique non dissimilis est ille quem invenis apud Gerhardum A. B. 110. Non dissimilis typo l est Satyrus in sarcophago Burdigalensi supra

[1]) Imitata est ‚h' in thiaso quem agunt Amores in anaglypho edito: Mori Mus. Cap. IV. 3 cuius dextra pars ex alio anaglypho falso videtur interpolata esse. Capite non reflexo est Mus. Pio-Clem. V. VII. cf. IV. XXX.

commemorato (Clarac 127. 148) qui in universum Mercurio Praxitelis est symmetrico motu expressus.

Satyrus n qui modo in A 3 comparet redit in sarcophago Bolseniensi (Gerhard A. B. 112, 2, 3; Eich.) et in fragmento quod edidit Bouillon musée des antiques III. 11 (Clarac II 147, 182)[1]).

Haec igitur omnia aut constat, aut consentaneum certe est, fuisse e statuariis exemplis efficta. Ut omittam currus cum Libera Sileno Hercule, quos ad Bacchi bigae exemplum quivis poterat inducere, captivos, quorum unus atque praecipuus quidem e typo I desumptus est, Herculem solum de quo nihil habeo quod addam, sacrificium quod thiasi interpretatori relinquendum est, de f_2 pauca addenda sunt. Etiam hic typus in thiaso comparet velut in duobus sarcophagis a Gerhardo editis (A. B. 112) quorum unus est Farnesinus alter Bolsenae extat in foro, et in celeberrima patera aurea Rennensi (Millin mon. ined. I. 37, cf. Gall. myth. 126. 469) quae alia praeterea communia habet cum sarcophagis elementa. Sed antiquiorem habemus testem a triumpho alienum, picturam dico Pompeianam editam in Giornal. d. Scav. d. Pomp. N. S. I tav. III in qua Hercules est ebrius in thiaso Bacchico simillimus typo f_2, deest Nympha a dextra eius, sed a laeva stat, ubi in sarcophagis est Satyrus, eodemque atque ille modo manum Herculis tenet. Ab hoc igitur elemento nunc abstinere possumus, nam ad triumphi Indici archetypum recuperandum nihil valet[2]).

Prioris ordinis elementa composuisse statuarum seriem supra demonstrare conatus sum, huius ordinis maximam partem fuisse statuas, me Tibi probasse spero. Putasne Tu eum, qui primum ad anaglyphum quo Bacchum induceret de Indis triumphantem exsculpendum animum induxerit, undique collegisse statuas quibus in anaglypho faciendo pro exemplaribus uteretur? — Nam alia res est in aliis sarcophagis in quibus hic illic singulae expressae sunt statuae. — An Tibi quoque veri similius videtur, statuarum seriem (cuius generis notissimum exemplum est donum Attalicum) ei ante oculos fuisse, quae Indicam pompam exprimeret?

---

[1]) Huic Satyro symmetrice expresso similis sit ille quem edidit Pottier Bull. de C. H. 1885 V. qui iniuria infans esse Bacchum posuit.

[2]) Immo in longe aliam provinciam eo ducimur collatis duabus picturis Pompeianis a Roberto editis A. d. I. 1884 tav. H et J, in quibus Hercules Augam opprimens est expressus.

Confidenter tali operi adscripserim A 1 a + c + e, quae omnia propria videntur esse triumpho Indico. Tum etiam d, quia certum habet in pompa locum, huc revocaverim. Cetera elementa sane potuerunt paullatim hinc illinc vel ex simili compositione quae thiasum repraesentaret repetita priori adiungi. Id quod probabile est in iis elementis quae per se bellico triumpho minus adaptata sunt quam bacchanalium laetitiae iocisque neque comparent in A 1, velut k, l, n. Sed haec quaestio ut omni ex parte solvatur necesse est in thiasum eiusque elementa et incrementa peculiariter inquirere, quod cum ab hac commentatione alienum sit satis habeo leviter tetigisse.

Classi A contraria utitur classis B conditione, quae proprie ad thiasum pertinet[1]), cui additis quibusdam elementis triumphi species data sit.

Tantum de anaglyphorum origine.[2]) Quod ad fabulae formam attinet, quam artifex secutus sit, vides eam in universum eandem esse atque in classi I. Peculiares huic monumentorum seriei sunt Pan dux bigae et Silenus cuius habitus philosopho cynico magis est dignus quam Bacchi thiasota. Sed prorsus conveniunt cum nonnullarum Bacchi expeditionis narrationum indole; e qua etiam humanioris speciei, qua plerumque in typo A Pan praeditus est, causam repetendam censuerim[3]).

---

[1]) Exempli causa conferas velim:
Pal. Doria, M-D 2286 Eich.
Louvre, Clarac 127: 148, 149 Eich.
Pal. Mattei. Mon. Matth. III. 8. 2 M-D 2300 Eich.

[2]) Tropaeo Bacchico quod extruitur in pictura Pompeiana (Casa di Lucrezio. Zahn. III. 83. Mus. Borb. XV. 32. Helbig 565) nihil communionis est cum anaglyphis. Quamquam eaedem atque in illis personae inducuntur: Victoria et captivus Indicus. Nam de Indico triumpho etiam hic agi nemo negare debet qui consideraverit, quam longe celeberrima inde ab Alexandri temporibus inter omnes Bacchi res gestas fuisset expeditio Indica et quam sola in Romanae aetatis monumentis regnet. Itaque non opus est refutare Panofkam (Arch. Zeit. V. 112), qui ad Hispaniam subactam hanc picturam trahere conatus est. — Utrum persona longa veste induta et coronata Bacchus ipse sit necne, non nisi diligenter examinata pictura ipsa discerni potest, nam per se nihil est quod in ea a dei habitu alienum sit. Helbigius eam esse feminam autumat, Minervini (in Helbigii libro) deum agnoscit, idem facit Panofka l. l., contra femina est Ghirardinio in A. d. I. 1879 p. 74 not.

[3]) Ὁ Πὰν in expeditione comparet apud Diodorum I. 18, στρατηγὸς est apud Lucianum in Prolalia (ὁ Διόνυσος) cf. D. D. 22. 3. et apud Polyaenum strateg. I. 2. Quas partes agere Pana non mirabimur recordati eorum quae

Herculem ebrium e thiaso inter triumphi personas venisse supra ostendimus, quam rem ita accipiendam esse patet, ut Bacchus dono suo, vino scilicet, etiam eum qui invictus haberetur superasset. Plane igitur contrariam esse rem apparet in iis monumentis, in quibus aeque ac Bacchus etiam Hercules triumphans est inductus, quae aliter accipi nequeunt, quam ut Herculem, triumphi participem, etiam belli socium fuisse Baccho ponamus[1]).

Herculem qui centauros vicerit causam esse cur centauri etiam Bacchi currum triumphalem traherent est sententia Roberti, ad quam firmandam utitur vasculo picto Cyrenaico quod Herculem exhibet centauris quadrigis invectum[2]). Quo vasculo refutatur Welckerus, qui quasi elephantos ex imitatione pompae Indicae carpento subiunctos esse putavit centauros (Theol. Gr. III. 152). Tamen non neglegenda sunt quae eodem loco in universum disputat de centaurorum indole Bacchica; adde quod apud Diodorum IV. 12. 3 iam ante Herculem consuetudo cum Baccho fuit centauris.

---

de hoc numine exposuit Usenerus in mus. Rhenano 1873, quibus adde Wilamowitz Phil. Unters. IV p. 340. Silenus paedagogus est apud Diodorum IV 2. 3., ceterum cf. Welckerum Th. Gr. III 148 sqq.

1) Fabulas quae de Herculis in India rebus gestis ferebantur hic pluribus persequi non possum, quamquam non sine fructu cum Bacchicis comparari possunt, utpote quorum conditio non uno nomine sit similis illis. Nunc sufficiat tria quibus imprimis nitatur fundamenta verbo tetigisse: Hercules enim ad quem Alexandri gens ascendere traderetur imprimis Alexandro imitatione dignus videri debuit. Fabulae ansam dedit Aorni arcis expugnatio, de qua re recte Eratosthenes Arrianus Lassenus (A. I. II 148 sq.) indicaverunt (cf. Droysen Hell. I. 2. 116). Denique apud Sibas (Çivi) re vera Krishna dei cultus vestigia Macedones invenerant, quae Herculis memoriam iis resuscitare possent (Strabo XV 1. Diodor XVII 96. 2 Curtius IX 42 cf. Lassen l. l. I 792. n. 2. 795 sqq. II 444 sqq.; 465; 702). Porro nihil magis in propatulo erat, quam Bacchum et Herculem communiter Indiam peragrantes fingere, id quod factum esse praeter duo illa monumenta his discimus testimoniis: Diodor. III 3. Philostrat. V. A. II XXXIII et III XIII; huc faciunt etiam utriusque dei stelae in India positae supra allatae et quae leguntur apud Lucianum Mort. Dialog. 14. 6. Haec fabulae forma fortasse causa est, cur Strabo Megasthenem tradit de Bacchi et Herculis expeditione verba fecisse (XV. 6), id quod falsum esse facile est demonstratu, neque mirum quia non ipso Megasthenis libro usus est Strabo, de qua re me alio loco acturum spero.

2) Editum est a Dumont in ‚Monuments grecques publiés par l'association pour l'encouragement des études grecques'. V 1876. t. 3.

Herculis inter Bacchi comitatum partes non meum est nunc persequi, haec tamen in universum addam, componi solere Herculem cum Baccho triplici ratione. Primum enim cum Baccho ipso consociatur Hercules cuius consociationis quae artis monumenta praebeant exempla collegit Welckerus (Theol. Gr. II. p. 613) qui ex conditione non uno nomine simili qua uterque deus usus esset eam explicavit. Similitudinem illam eleganter exposuit poeta ignotus in notissimo Anthologiae Planudeae epigrammate, quod protulit Visconti ad illustrandum anaglyphum Vaticanum (27):

Anthol. Pal. ed Duebner. XVI. 185

Ἀμφότεροι Θήβηθε, καὶ ἀμφότεροι πολεμισταί,
κῆκ Ζηνός· θύρσῳ δεινὸς, ὁ δὲ ῥοπάλῳ.
Ἀμφοῖν δὲ στῆλαι συντέρμονες· εἴκελα δ' ὅπλα,
νεβρὶς λεοντῆ, κύμβαλα δὲ πλαταγῇ.
Ἥρη δ' ἀμφοτέροις χαλεπὴ θεός. Οἱ δ' ἀπὸ γαίης
ἦλθον ἐς ἀθανάτους ἐκ πυρὸς ἀμφότεροι.

Tum cum Satyris aliisque thiasi personis componitur Hercules plerumque ebrius, id quod iam quarto a. C. saeculo vel prius etiam factum esse docent monumenta collecta a Jahnio: Ant. Bilderchr. p. 42. cf. Stephani: Ausruhend. Herakl. p. 198 sqq. adde quae attulit picturae Pompeianae editor. Giornal. d. Scavi d. Pomp. N. S. I p. 31 et quae Welckerus in Supplementis ad Trilogiam Aeschyleam p. 318 sqq. qui a dramate Satyrico in hanc partem excultas esse putat Herculi fabulas assentiente Jahnio (l. l. p. 43).

Tertii denique generis, quod Bacchum cum Hercule triumphantem exhibeat, cum inter antiquiora monumenta nullum extet exemplum, recte a me puto communem triumphum non similiter atque primum genus sed ex Indica expeditione explicatum esse.

Captivi Producti.

I.

Triumpho vel potius pompa peracta ad ea me converto anaglypha in quibus captivi producuntur ante oculos Bacchi sedentis in sella velut imperator triumphans. Quorum nullum ineunte secundo p. C. saeculo videtur recentius esse.

28 28. Incipio a sarcophago qui Salerni est in cathedrali. Gerhard, A. B. 109. 2. 3. Eich.

In dextra parte Bacchus sedet in sella sinistrorsum versus. Pan cum clipeo stat iuxta eum. Post sellam duo stant Satyri quorum unus, barbatus, fortasse est Silenus. Ad Bacchi pedes prostratus est manu porrecta ei supplicans senex barbatus; sequitur puer, et alius vir longa barba et diademate insignis qui se prosternere velle videtur, hi tres victi bracati sunt. Post eos in recessu conspicitur femina, quam aeque atque tres illos barbaros pro captiva habuit Zoëga putavitque filiam vel uxorem regis esse (Bassiril. II. p. 147).

Sed haec femina in Eich. aperte est Baccha quae capite ad supplicem illum reflexo laevam adversus Bacchum tendit, dextram nunc truncatam ita deorsum porrigit, ut dei gratiam pro captivo illo implorare videatur. Sequuntur: alius Pan Satyri cum clipeis. Sinistra anaglyphi pars ferculo repletur in quo alii captivi sedent praedaque posita est, quod ferculum Satyri umeris portant.

II.

29. Vaticano. Gerhard A. B. 109. 1. 29a
Mueller-Wieseler 444. Eich.

Est imago e duabus scaenis ineptissime conglutinata.

a) Dextra pars continet scaenam in summis plane dextrae antecedentis sarcophagi similem: — nisi quod opus est multo minoris pretii — Bacchum Pana hominem supplicem Baccham Satyrum cum clipeo.

De altera parte infra videbimus.

III.

30. Eiusdem scaenae fragmentum, quod, si Zoëgae imitationi 30
fides est habenda, pulchritudine inter cetera excellit, in villa Albani extat. Zoëga II. 75.

Continet Bacchi caput pulcherrimum longis capillis insigne diademate foliis vino ornatum dextrum brachium sine manu laevum umerum et nudi corporis partem superiorem. Praeterea conspicitur Panos caput umerus dexter pars pectoris clipeus denique manus porrecta supplicis.

IV.

31. Villa Albani. Zoëga II. 76. Pet: L. Eich. 31

Hoc fragmentum demptis illis, quae falso suppleta esse ex Eich. apparet, maximam habet similitudinem cum pegmate quod est in primo anaglypho (28). Satyri enim tubam inflantis nihil genuinum

est praeter brachium dextrum. Camelorum autem capita quae in sinistra parte conspiciuntur, cum genuina sint, e maiore compositione hoc fragmentum desumptum esse, quae nonnullis figuris locupletior fuerit, suspicionem movent.

V.

32 32. Denique hic locum habeat fragmentum quod adhuc singulare est: Pal. Albani. Zoëga VIII. M-D 2280. Pet: J.

Fragmentum ad res Bacchicas pertinere e cratere pantheris thyrso, qui inter duas figuras interpolatas comparet, concludendum est. Expeditionis Indicae testimonia elephantum cum captivo nec non captivum cuius manus catena vincta est habet. Sed utrum huc trahendum sit, an triumphi typo I attribuendum, adhuc diiudicari non potest. —

De origine eius typi, qui quattuor primis subsit anaglyphis, satis habeo adnotare, eadem elementa iam extra Bacchicarum fabularum regionem inveniri: Nam Bacchus sedens ad cuius pedes prostratus est supplex prorsus ad exemplum imperatoris Romani expressus est, qualis est e. c. in sarcophago qui asservatur in museo Vaticano (Mus. Pio-Clem. V. 31 Eich.) in quo triumphus repraesentatus est. Latus dextrum pegma continet nostro simile, idem est in villae Albani anaglypho (Eich 454 in apparatu) et in anaglypho, quod est in campo sancto Pisano (Duetschke 60. Eich.).

Adde, quae pegmate carent, anaglypha: Mon. Matth. 35. 2. M-D 3334 et M-D 3332, quod simillimum Vaticano illi esse adnotat D.

Pegmatis exemplum multo antiquius in Titi imperatoris arcu triumphali[1]) extat, ferculum[2]) illud quo portatur candelabrum e Jehovae templo raptum.

Mirum autem est, antiquissimum pegmatis quod noverim exemplum rursum ad Bacchicas res spectare, ita quidem ut solemnis aliquis mos videatur per iocum atque ludribrium agi: Amphoram dico Neapolitanam (Gerhard A. B. 107) in qua picti sunt quatuor Satyri culeum vittis foliisque ornatum in ferculo portantes, praecedente Baccha.

---

[1]) vid. Philippi in ‚Abh. d. sächs. Ges. d. Wissensch‘. Bd. VI. III. (Leipz. 1872) tab. 3.

[2]) Disputavit de talibus ferculis Buonarotti ‚osservationi sopra medaglie‘. p. 9 et p. 157.

Totum igitur hunc productorum captivorum typum cum in fabulae Bacchicae usum non inventum sed translatum esse putandum sit, cavendum est ne nimii in singulis personis mythicis cum monumentorum figuris consociandis simus.

Sane quod Pan sellae Bacchi adstat cum clipeo, non videtur ab illa versione seiungendum esse, in qua dux copiarum est Pan [1]). Sed quod Zoëga (Bassiril. II p. 147 sqq.) Nonni Dionysiacorum vel similes personas in supplicibus illis recognoscere sibi visus est, mea quidem sententia iam idcirco reiectaneum est, quod supplex ille quasi figura typica, ut ita dicam, huc translatus esse e modo commemorati anaglyphi comparatione videtur. Neque hic homo prostratus aut in 28 aut in 29 est diademate ornatus, id quod modo in alterum illum captivum cadit in 28. Denique non videtur ea versio quam Nonnus secutus est, quamque supra vidimus a Macedonico-Alexandrina diversam esse, illa aetate adeo usitata fuisse, cum nullum exstet monumentum, quod eam exprimere pro certo statui possit. Et Pan quidem *στρατηγὸς* a Nonno alienus est.

Pugna.

Ad extremam tandem me converto anaglyphorum classem, eam quae pugnam ipsam praebeat.

I.

33. Incipio a sarcophago qui est in cathedrali Cortonensi. 33
Arch. Zeit. 1845, XXX. Mueller-Wieseler 443. Eich.
Egerunt de eo:
Kluegmann. Arch. Zeit. 1869 (27), 31.
Semper: Grenzboten XXX. 1. (1871). Vol. II. p. 1032.
Heydemann: III. Hallisches Winckelmannsprogramm: Mitteilungen aus den antikensammlungen in Ober- und Mittel-Italien. Halle 1879 p. 111.

Sarcophagus qui ex antiquioribus melioribusque videtur esse [2]) cum ita, ut non nisi admota candela examinari possit, in cathedrali illa collocatus et per se ita comparatus sit, ut difficultatibus haud levidensibus interpretationem impediat, multos variosque

---

[1]) Praefectus provinciae Pan est Plin. n. h. III. 8.
[2]) De stilo optime disputavit Semper l. l.

in modos a viris doctis interpretando coniciendoque temptatus est. Quorum conamina, cum partim Eichleri sollertia refutentur, partim explicatione, quam ab artis sermonis ut ita dicam aegibus dictari Roberto duce intellexi, irrita reddantur, non singula perstringere in animo habeo.

Ordior igitur ab interpretatione sarcophagi: Anaglyphum quo latus adversum ornatum est in duas partes scinditur Panos persona, qui mediam tenet subligaculo vestitus clipeo et gladio, ut videtur, armatus; transcendit e recessu veniens tumulum, quo crura eius sunt abdita. Sinistra pars Bacchi curru repleta est. Centauros qui ei subiuncti sunt, quorum alter iaculo alter arcu pugnat, aggreditur hasta et clipeo armatus iuvenis nudus, quem adversarium Bacchi esse, quamquam propter aures viri docti adhuc eum pro Satyro habebant, primum illa ipsa re quod centauros aggreditur manifestum est, tum eo firmatur quod Pan qui dextra sublata ictum parat in nullos alios potest impetum faciens cogitari quam in hunc atque prorsus huic similem iuvenem qui ab altera parte stat. Accedit quod barbarorum capita quibus operculi anguli ornati sunt prorsus cum istis conspirant, habent etiam eandem in labro superiore barbam, quam adhuc in Satyris nondum inveni. Animalium autem aures non tam Satyris propriae sunt, quam in universum omnibus feris beluarumque natura praeditis animantibus, velut gigas, Iovis in gigantomachia Pergamena adversarius iis est insignis — id quod ideo non parvi videtur momenti, quod supra vidimus, extitisse fabulae formam qua Indi in gigantum locum submitterentur. Trium quoque qui in anaglypho comparent mortuorum aspectus cum duobus istis pugnantibus congruit (cf. Heydemannum l. l. p. 111, qui mortuos recte vidit adversarios eosque Indos esse) denique non diversi sunt in sarcophagi lateribus Satyrorum adversarii.

Itaque in Indum qui dei bigam aggressurus est Pan impetum facit, alterum oppugnat Silenus, quem plane apparet non Amazonem [1]) illam quae equo vehitur, sed post eius tergum Indum illum hasta petere. — Sileni adhuc extat dextra sublata cum hastae particula, praeterea conspicitur punctillus a dextra eius supra clipei marginem — Indus autem cum Amazonem

[1]) re vera Amazonem esse testatur Heydemann. l. l. firmaturque Eichleri tabula.

aggredi videatur, perspicuum est, Silenum eodem modo Amazoni succurrere quo Pan Baccho; illa igitur ab huius partibus stat, non ab adversariorum, id quod firmatur Indo mortuo qui iacet sub equo eius. Restat in dextra parte vir nudus barbatus, quem pro Satyro habeo cum Heydemanno, et eques quem barbarum [1]) esse anaxyrides demonstrant et caput plane ceteris simile. — Fortasse est rex Indorum.

Notae sunt fabulae complures, quibus Bacchum aliquo modo convenisse cum Amazonibus narrètur. Extant inter eas versionis vestigia, quae Bacchum in Indica expeditione finxisset Amazones socias sibi adscivisse; a qua vix diversam iudicaveris eam qua primum debellasse, debellatas demum quasi socias exercitui suo admiscuisse traditum sit. Locos huc spectantes habeo hosce:

Diodor. III 71, 3 (e Dionysio Scytobrachione.)

'προςλαβέσθαι δὲ (scil. Bacchum) καὶ τῶν πλησιοχώρων τούς τε Λίβυας καὶ τὰς Ἀμαζόνας, περὶ ὧν προειρήκαμεν, ὅτι δοκοῦσιν ἀλκῇ διενεγκεῖν, καὶ πρῶτον μὲν στρατείαν ὑπερόριον στεῖλασθαι, πολλὴν δὲ τῆς οἰκουμένης τοῖς ὅπλοις καταστρέψασθαι.' Postea narratur etiam in India fuisse Bacchum.

Ex eodem auctore idem Diodorus de tertio Dionyso haec narrat III 74, 2.

στρατιώτιδας δ' ἐπιλέξασθαι γυναῖκας καθάπερ καὶ ὁ παλαιὸς τὰς Ἀμαζόνας [2]).

Polyaen. I. 1, 3. Διόνυσος, Ἰνδοὺς ἑλών, αὐτούς τε Ἰνδοὺς καὶ Ἀμαζόνας ἄγων συμμάχους, εἰς τὴν Βακτρίαν ἐνέβαλεν.

Quo loco quominus utamur non videtur obstare quod Bactrii sunt dei adversarii, quippe quae fabula in Polyaeni narratione intimo cum expeditione Indica cohaeret conexu.

---

[1]) Semperus hic quoque Amazonem agnoscens erravit.

[2]) Fortasse aliqua ex parte a tali sophismate pendent quae Seneca dicit: (Oedipus v. 479)

Ille
Arma detraxit trucibus puellis:
Ore deiecto petiere terram
Thermodontiacae catervae
Positisque tandem levibus sagittis
Maenades factae.

II.

29b 29 b. Sinistra anaglyphi de quo modo egimus scaena repetita est[1]) in sarcophago Vaticano supra memorato (29), sed adversarius Bacchi est vir armatus (rex Indorum, ut videtur) qui stans in curru fugiens videtur a Bacchi impetu se defendere; figuram quae sub eius equis videtur in terra sedere non pro mortuo habeo, sed fortasse est Tellus, quamquam id quoque dubium est propter clipeum quem, utrum teneat necne, non audeo diiudicare.

Ovidius nec regi Indorum nec filiae eius nomen dedit, — num Tu putas huic Indorum regi, si modo est rex, nomen excogitandum esse?

III.

34 34. Venio ad prorsus alium pugnae typum cuius unum quod extat exemplum a nemine adhuc, quantum equidem scio, ad Indicam expeditionem revocatum est, id quod propterea non mirandum, quod sarcophagus qui nimis alte et in loco parum lucido muro applicatus est nunc vilissimis laborat interpolationibus:

Museo Capitolino. Cob. 41 (243) Foggini Mus. Capit. IV. 51. Righetti descriz. del. Camp. tav. LXXXV. Eich. Secundum Coburgensem edidi (nr. 2 in tabula).

Recensionis quam philologice vocamus fundamentum unicum adhibeo Coburgensem, nam in eo delineatum est anaglyphum priusquam interpolatoris manum perpeteretur; cuius opus editores a genuino non discreverunt, immo etiam quae recte videntur in anaglypho servata esse non semper edita recte sunt, velut camelus qui in medio extat anaglypho in duos equos mutatus est apud Fogg. (caput cameli alterius est equi caput, alterius tuber), velut Victoriae manus dextra et corona plane omissa. Imaginem anaglyphi quam edidit Righetti omnino nullius esse pretii intelleges vel breviter conlata Eichleri tabula quam ipsam tamen non eadem fide dignam esse atque cetera eiusdem opera ex anaglyphi quam supra tetigi conditione ac natura evenit. Commemorare non omittam in dextra parte tabulam a Ri-

---

[1]) Comparavit haec duo anaglypha iam Heydemannus, qui etiam, quae praeterea in sarcophago Cortoniensi communia sint cum aliis monumentis, composuit.

ghettio editam quinque figuris auctam esse, mortuo humi iacente et quattuor aliis inter quos Victoria comparet. In qua parte quomodo res se habeat, nunc nescio, sed cum in Cob. et in Eich. desit et per se minime videatur ad nostri anaglyphi compositionem quadrare, plane eam neglegam.

In rerum statu qualem modo exposui maxime e re videtur esse, anaglyphum paullo accuratius describere, ita ut gravissimas a ceteris imitationibus discrepantias in describendo moneam; nam ne descriptio quidem plena et accurata mihi innotuit, cum Matzius in Coburgensis imaginibus enumerandis pauca modo verba fecerit de hoc anaglypho. A parte laeva ordior: Victoria dextrorsum incedit laeva palmam tenens; dextram porrectam fuisse lacertus sublatus docet. Sequitur vir diadematus, ut videtur, nudus cum Satyri cauda, dextra tenet gladii capulum. A dextra eius capitis corona extat quam apparet Victoriam tenuisse dextra nunc perdita et porrexisse adolescenti qui est a dextra Satyri et sinistrorsum videtur pergere. Hic toto corpore adversus expressus est capite paullulum reflexo, nudus nisi quod in brachio laevo longe dextrorsum porrecto chlamys pendet vel nebris; dextram ad coronam tendit, armatus non est, barba caret in Cob. (Hodie caput habet barbatum teste Eichlero, cf. Fogginium). Inter Victoriam et hunc adolescentem ante Satyri pedes humi iacet mortuus aut vulneratus cui panthera quae iuxta adolescentem currit cervice sinistrorsum reflexa (nunc foedissime ita restaurata est, ut cervici adfixa sit facies in alteram partem spectans) ungues inicit in inguina. Laevus huius vulnerati lacertus sublatus est cubito curvato, ita ut brachium manu deperdita deorsum tendat. Haec ideo tam accurate exposui quod in hac maxime anaglyphi parte tam longe a Cob. et inter se differunt reliquae imitationes, ut vix appareat quid interpolatori, quid librario, ut ita dicam, vitio vertendum sit. Tamen etiamsi non constaret, neque una quaque collatione magis magisque appareret, quanta fide dignus sit Cob., hoc loco per se pateret genuinam eum servasse speciem, quod diversarum personarum motus inter se optime conveniunt. — Pone adulescentem, cui coronam dare Victoria videtur, a dextra eius capitis hominis sinistrorsum versi caput comparet barbatum, qui homo dextra sublata curto gladio armatus pugnare videtur cum Satyro modo commemorato. Sequitur elephas sinistrorsum versus cum homine pallio vestito qui ex elephanto hasta impetum facit in adole-

Druck von W. Pormetter in Berlin